

GAUDIER, Antoine (S. J.)

Praxis meditandi a B. P. Ignatio Societatis Iesu Fundatore traditae explicatio / autore P. Antonio Gaudier, ex eadem Societate.
— Parisiis: Sumptibus Sebastiani

Cramoisy... , 1620. — [12], 418, [2]
p., 2^o, A-R¹², S⁶, 8^o

Port. con anagramma ^{calc.} de la Compañia de Jesús. — Errores de pag.,

— Enc. pag.

1. Ignacio de Loyola, Santo — Crítica e interpretación. I. Tit.
2. Inazio Loyolako, Santua — Kritik eta interpretazioa.

PRAXIS
MEDITANDI

A B. P. IGNATIO
SOCIETATIS IESU

Fundatore traditæ

EXPLICATIO

Autore P. ANTONIO GAUDIER,
ex eadem Societate.



1781

PARISIIS.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY,
via Iacobæ, sub Ciconiis.

M. D C. X X.

Cum Privilegio Regis.





AMPLISS. CARDINALI
RADESIENSI
D. D. HENRICO
DE GONDY,
Parisiensi Episcopo, &c.

ANTONIUS GAVDIER
è Societate IESV S. D.



OGITAVI diu-
tissimè (Cardi-
nalis Amplissi-
me) quod potis-
simùm ex iis operibus, quæ
in piorum hominum vsum

publicæ luci dare institui,
siue nomini tuo, siue tuæ
erga nostrum ordinem vo-
luntati dicarè, nec aliud vi-
sum est, tuæ magis dignita-
ti conuenire quàm istud,
quod de praxi mētalis ora-
tionis conscripsi. Animad-
uertebá te primariis duob.
Ecclesiasticæ dignitatis ti-
tulis insignem, & occurre-
bat animo Cardinales Ec-
clesiæ columnas esse, firmos
proinde ac solidos omni-
pietatis ac virtutum pleni-
tudine, & hanc certè pleni-
tudinē totam ex familiari

cum Deo communicatione per orationem deriuari;
Episcopis à Domino præceptum esse in Episcoporum
Principe *Pasce oues meas.* E- Io. vi
piscopus esse positos à Spiritu sã- Act. 20
cto regere Ecclesiam Dei, quam
acquisiuit sanguine suo, sibi que
& vniuerso gregi attendere, vt
annuntient omne consiliũ Dei
hominibus: in oratione autẽ
discere illos consiliũ Dei,
& diuinis cibis ante fatia-
tos, ex eorum redundãtia,
velut matrices paruulos,
suæ curæ commissum gre-
gem pascere. Legebã sum-

mum illum Pastorem &
Episcopum animarum no-
strarum Christum Iesum
studiū orationis Ecclesiæ
proceribus primis Episco-
pis & Pastoribus non mo-
dò familiare esse voluisse,
vigilate & orate, oportet sem-
per orare & nunquam deficere;
sed ad eorum etiam exem-
plū præcipuas suas actio-
nes ab oratione exorsū esse,
sæpe ad orationis quietem
in solitudines secessisse, sæ-
pe fractum diurnis pastora-
lis officij laboribus adhuc
pernoctasse in oratione Dei, tā-

dem etiam in ipsa cruce do-
lorum quasi oblitum pro
gregis incolumitate seipsū
offerentem cum clamore valido Heb. 5.
& lachrymis exauditum esse
pro sua reuerentia. Audiebam
gentium Apostolum, boni
illius Pastoris perfectū imi-
tatorē, testem appellantē
Deū, quod sine intermis-
sione pro sibi commissis o- Rom. 1.
uib⁹ oraret, & eiusdem ora-
tionis vsum Tito & Timo-
theo carissimis discipulis,
quos Episcopos fidelibus
præfecerat, præ cæteris vir-
tutibus commendantem.

Videbam denique nostris
his sæculis lumen illud cla-
rissimum Episcoporum &
Ecclesiastici Senatus S. Ca-
rolum Borromeum ad eam
vitæ sanctitatem, & rerum
præclarè gestarum admira-
tionem vnus orationis be-
neficio peruenisse, hoc illi
continuum omnibus in re-
bus ac locis studium, hæc
illi delitiæ, hæc vna in ob-
scuris ei lucem, in dubiis
consilium, in aduersis sola-
tium, robur & constantiam
in omnibus incredibilem
semper oratio ministrabat.

Hanc tu praxim orationis (Cardinalis Amplissime) æquo vultu si exceperis, nomine & dignitate insignitam tua, non defendes modò à fastidiosorū quorūdam hominum nausea, sed multū quoque piis animis, & maximè Pastoribus, commendabis.



INDEX

CAPITVM.

- CAPVT I.** *De prestantia Orationis.* pag. 1.
- Cap. II.** *Quibus potissimum necessarium sit mentalis orationis exercitium.* p. 7.
- Cap. III.** *Qua materia orationis mentalis esse debeat.* p. 16.
- Cap. IIII.** *Quae sit causa efficiens orationis.* p. 28.
- Cap. V.** *Oratio alia ordinaria, alia extraordinaria, & unde petatur hac diuisio, & quod inter utramque discrimen.* p. 32.
- Cap. VI.** *Orationis exercitium sensim solet perfici.* p. 46.

INDEX CAPITVM.

- Cap. VII. De remota preparatione
ad orationem, & eius impedimē-
tis. p. 51.
- Cap. VIII. Preparatio propinqua
vesperi vel mane facienda. p. 65.
- Cap. IX. De presentia Dei & reue-
rentia eius summa Maieitati
debita. p. 80.
- Cap. X. Oratio preparatoria. p. 95.
- Cap. XI. Preludia. p. 99.
- Cap. XII. Meditationis natu-
ra. p. 104.
- Cap. XIII. Meditandi praxis. p. 111.
- Cap. XIII. De colloquio. p. 143.
- Cap. XV. Exemplū ad modū illum
meditandi clarius declarādū. 158.
- Cap. XVI. Rationes quae hunc medi-
tandi modū persuadent. p. 187.
- Cap. XVII. Qualis debeat esse me-
ditatio eorum qui saluti proxi-
morum vacant. p. 202.

INDEX CAPITVM.

- Cap. xviii. *Examen post meditationem.* p. 220.
- Cap. xix. *Fructus orationis.* p. 229.
- C. xx. *De deuotionis defectu.* p. 268.
- Cap. xxi. *Remedia contra ariditatem.* p. 287.
- C. xxii. *De distractionibus.* p. 306.
- Cap. xxiii. *De illusionibus que circa preparationem meditationis eueniunt.* p. 338.
- Cap. xxiv. *De illusionib. que circa meditationem occurrunt.* p. 359.
- Cap. xxv. *De illusionibus que post meditationem occurrunt.* p. 392.
- Cap. xxvi. *Impedimenta ex parte corporis.* p. 401.

DE ORA-



DE
ORATIONE
MENTALI

CAPVT I.

De prestantia Orationis.

TANTA est huma-
næ paupertatis mi-
seria rerúmque om-
nium egestas, tan-
ta hominis ab Optimi Crea-
toris sui & Gubernatoris mu-
nificentissimi Dei liberalitate
dependētia ; vt nec ipse suum

A

2 DE ORATIONE

quidquam habere suis viribus, nec collatas à Deo opes sua industria vel augere vel retinere possit: sit verò omnino necessarium ex eodem ipso fonte quo primùm diuina in condendos homines beneficentia profluxit, eadem vt ad eos ornandos continuo liberalitatis fluxu decurrat. Et quamquam diuina bonitas plurima in hominem vtrò beneficia conferat, quia tamen rationis & gratiæ beneficio, quarum ipse est capax, diuinæ quodammodò fit naturæ particeps, & eius communionis quam intelligens natura cum suo autore vtro citròque communicando habere potest; ideo non

pauca sunt ad hominis salutem perfectionemq; spectantia quæ nullatenus ei largiri statuit, nisi ipse homo se à terrenæ conuersationis humilitate, rerumq; infimarum tractatione erigens, ad Deum mentem propiùs admoueat, cum eo familiariter agat, & de suis rebus communicet, ut dum omnibus officiis se diuinæ maiestati orando subicit, dum suam inopiã & omnium bonorum egestatem aperit, flectat oratio pietatem, quam sæpe, nec nuda obsequia ad liberalitatem, nec sola sine humili prece miseria ad misericordiam commoueret. Qua in re singularis Deitum bonitas, tum sapientia

4 DE ORATIONE

elucet: & sapientia quidem, quod vt hominem & suæ utilitatis cupidissimum, & sui honoris amantissimum, & detineret spe quæstus, & alligeret specie dignitatis; ita hæc duo permiscuit, vt ad orationem præstantissimã hominis actionem & prope diuinam occupationem, in qua vitæ huius beatitas est posita, summam non modò utilitatem, sed etiam necessitatem adnecteret; & eandem etiam summè per se vtilem & necessariam, summa quoq; nobilitate ac dignitate cohonestaret. Quid quæso, ô homo, ad tuam dignitatem splendidius dici aut excogitari potest, quàm quod ideo factus

MENTALI.

sis homo, vt cum factore familiariter verferis? Vt tuum creatorem tua conuersatione delectes pariter & honores, atque ita beatiùs viuas? Quid tibi etiam cum terræ regibus, abiectissimis vermiculis, cui amicitia cum Deo tanta, tamque familiaris ac sincera intercedere, si velis, potest?

*Reputemus, inquit S. Chryso-
stomus, honoris magnitudinē,
quòd Deus nos tanta ac tali sua
cura dignatus sit, vt assiduè di-
uino colloquio frui liceat, per
quod etiam illud assequimur, vt
& mortales, & temporarij esse
desinamus; natura quidem mor-
tales, sed colloquio conuictùque
quem agimus cum Deo ad im-
mortalem vitam transeuntes:*

l. r. d.
Oratio
Deo.

6 DE ORATIONE

neceſſe eſt enim, ut qui cum Deo familiaritatem habet, ſuperior euadat & morte, & omnibus que corruptioni ſunt obnoxia; ſicut fieri non poteſt ut qui ſolis radiis fruatur non effugiat tenebras.
Et verò benignitas Dei quæ maior eſſe potuit, quàm quod ut ad obiectam orationis utilitatem, imò & impositam neceſſitatem, eiufdemque propositam dignitatem hominum voluntates accenderet, ſummam quoque ei iucunditatem & oblectationem adſperſit, ut quos nec ſuæ dignitatis ratio, nec ſuorum commodorum cupiditas, nec ſuæ ſenſus paupertatis tangeret, eos ſaltem tam in aliis rebus potens voluptatis ille-

cebra ad degustandas orationis delicias demulceret? Vide ut his omnibus conditam orationem Diuus Augustinus proponit dignitate, utilitate, iucunditate. *Quid est, inquit, Oratione pulchrius? quid vite nostre utilius? quid anime dulcius? quid in tota religione nostra sublimius?*

lib. de miser. operib.

CAPVT II.

Quibus potissimum necessarium sit mentalis orationis exercitium?



VANQVAM omnibus utilis admodum mentalis oratio; iis tamen qui ad perfectionis sta-

8 DE ORATIONE
rum vocati sunt est omnino
necessaria: est enim hæc o-
ratio potissimum perfectionis
instrumentum. Nam cum
perfectio in eo consistat, vt
vt perfecta Dei cognitione
& amore Deo ipso tanquam
verissimo cibo suo anima nu-
triat, & in Dei similitudi-
nem crescat, has nobis deli-
cias & solidum nutrimentum
sola mentalis oratio ministrare
potest. Quare verè dixit Au-
gustinus: *Sicut ex carnalibus ef-*
cis alitur caro, ita ex diuinis elo-
quiis interior homo nutritur &
pascitur. Accedit quod Deus
non tantum sit cibus quo ani-
ma perficitur, sed omnis illius
perfectionis causa efficiens
principalis, vt mox dicemus,

Ser. 112.
de tēp.

MENTALI. 9

quæ non alio modo quàm oratione , ad inducendam in nostram animam perfectionem applicari potest. Quocirca meritò D. Bonaventura cuius ad perfectionis statum vocato necessariã adeo orationem esse duxit , vt nullam sine illa Religionẽ posse consistere, grauiſſimis sanè

verbis confirmauerit, *Cauenda*, inquit, *est perturbatio studij deuotionis, ex qua fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impinguatur: Arida est omnis Religio, que non oleo isto saginatur: instabilis est bonorũ operum structura, que deuote orationis frequentia non compaginatur, sicut paries lapidum sine semento: in omni*

lib. de
sex alis
cap. 3.

IO DE ORATIONE

Religione, in qua deuotionis feruor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruina; lampades fatuarum virginum sine oleo extinguntur. Ita Bonauentura. Id ipsum videbatur assereret Sanctus Franciscus cum diceret frequentissimè, sine gratia orationis nullū fructum sperari posse; vbi nomine gratiae peculiare quoddam studium deuotionis, vt appellat Bonauentura, intelligit. Et verò constat experiētia quotquot à perfectionis statu excidunt, eos omnes ob neglectum orationis studium, primum quidem offusa quadā menti caligine practicis multis iudiciis erroneis imbui,

MENTALI.

II

deinde virtutum omnium,
humilitatis præsertim atque
obedientiæ studium desere-
re, in multas & graues imper-
fectiones deuolui, ac tandem
penitus deficere: vt iis ex eo-
dem capite à statu perfectio-
nis ruina contingat, ex quo,
authore Anastasio, ex ipso
innocentiæ statu Adamo cõ-
tigerit. quare verissimè Chri-
stostomus, *Cùm videro quẽpiã
non amantem orandi studium,
nec huius rei feruida vehemen-
tisque cura teneri, continuò mihi
palam est eum nihil egregie do-
tis in animo possidere: rursus v-
bi quem conspexero insatiabili-
ter adhærentem cultui diuino,
idque in suis damnis numeran-
tem si non continuè orauerit,*

Orat.
in Idol.

l. I. de
orando
Deo.

12 DE ORATIONE

*coniecto. talem omnis virtutis
firmum esse mediatorem, ac Dei
templum, cum simpliciter im-
possibile sit absque precatationis
presidio cum virtute degere.*

Quod si omnibus in vni-
uersum qui perfectionis statū
complexi sunt necessaria sit
oratio, certè iis omnium ma-
ximè, qui sola sua perfectio-
ne non contenti omni etiam
conatu in salutem & perfe-
ctionem proximorū incum-
būt: hoc enim vnico instru-
mento à Deo tanquam viuo
fonte, vis omnis & efficacia
eorum mediorum, quæ ad
iuuandos proximos adhiben-
tur, hauriri debet. Quæ cau-
sa etiam est cur eam D. Chry-
sostomus fontem ipsum ap-

pellet, scilicet quia ita nobis proximè & efficaciter Deum omnium bonorum fontem admouet, imo etiam in nos inuehit, vt oratio ab ipso Deo non videatur seiungenda, fiatque per eam *vt flumina de ventre nostro fluant aqua uina*, qua functiones erga proximum omnes veluti canales impleti longè latèque ad proximorum utilitatem diffunduntur. Ioã. 7

Vnde etiam cùm Societas IESV ad procurandam hominum salutem à Deo instituta sit, Deo etiam authore hoc orationis instrumento ad id opus vsque adeo necessario, instructa est. Constat enim eius Parenti ac funda-

14 DE ORATIONE

tori Beato Ignatio, in tanta se-
culi illius ruditate homini a-
lioqui illiterato, singulare o-
rationis donū per Exercitia
spiritualia collatum esse, quæ
deinde Spiritu sancto afflatus
in ingentem totius Ecclesiæ
utilitatem, & peculiarem suo-
rum vsum, quibus id armo-
rum genus commendatissi-
mum esse voluit, scriptis cõ-
signavit. Vnde nihil mirum
est si tam frequenter in suis
Cõstitutionibus studium o-
rationis, & cum Deo fami-
liaritatem omnibus commẽ-
darit, præsertim verò Profes-
sis, quorum proprium est
absolutis iam studiis saluti
proximi vacare; hos enim to-
tum omnino tempus, quod a-

MENTALI.

15

necessariis cum proximo occupationibus liberum ac vacuum habuerint, orationi tribuere fanciuit. Hoc autem iis præcipuè necessarium est, qui à natura ita comparati sunt, vt ad actiones externas, quibus facile animus dissipari solet, potissimum propendeant. Qua de re in eo opere quod est de perfectionis natura & statibus fusius pro instituto tractamus.

CAPVT III.

Qua materia orationis mentalis esse debeat.

CVM igitur tanta sit & utilitas & necessitas mentalis orationis, atque adeo mirum non sit si tam multi de ea scripserint: non videbitur inutile si eius exercitij causas omnes, secundum eam praxim quam B. P. Ignatius Societati, atque adeò Ecclesiæ reliquit, breuiter describamus.

Atq; vt ab ipsa eius materia ordiamur, id imprimis statuendum est meditationē, in vniuersum circa fidei myste-

ria verſari, quæ cauſa eſt cur naturam meditationis ignorare illi cenſendi ſint, qui inanes quaſdam virtutum ſpecies, aut conceptus ex arbitrio confictos, aut philoſophica potius quàm firma & certa clarâque fidei dogmata, aut denique malè fundatas in ingenij ſubtilitate Scripturæ interpretationes ſibi pro meditationis materia deſumunt, vnde plerumque fit vt ab inani cibo vacua anima debilis ſemper atque infirma perſeueret: ex ieiuna nimirum mente, non niſi frigidus voluntatis affectus poſteſt expectari. Cùm enim, vt poſtea dicemus, conſiſtat in eo meditatio vt ex ſolido

18 DE ORATIONE

aliquo certóq; principio per
discursum conclusiones pra-
cticae eruantur aptae ad exci-
tandos in Deum animi mo-
tus, sitque idcirco meditatio
religiosa mentis operatio; hi-
certe pij religiosique motus,
& conclusiones ex religioso
fidei principio deriuari om-
nino debent, ex fidei scilicet
mysteriis in Dei lege & sacris
Scripturis contentis, iux-

Ps. 118. ta exemplum Prophetæ, *Lex
tua meditatio mea est*; & San-
ctorum Patrum consilium:

lib. de *Hunc cibum*, inquit Ambro-
Abel & sius, *menti nostrae deferamus*,
Caim qui multa attritus meditatione
cap. 6. *cor hominis sicut illud caeleste
manna confirmet, quod non o-
tiosè tritum ac politum accipi-*

mus, eo quod caelestium Scripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde versantes, ut succus ille spiritualis cibi in omnes se venas anime diffundat: sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oves bene pasta adipe nitent, ita Apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio. Et sanè cum ars omnis, scientia, & disciplina obiectum quoddam habeant, certum, definitum, & suis limitibus circumscriptum; ita ut extra illud non liceat euagari, eiusque vnus principia causasque inuestiget: ita necesse est artē omnium præcipuam & maximè necessariam, scientiam Sactorum, & disciplinam vi-

tæ æternæ, certum ac definitum habere obiectum, cuius naturam & principia rime-
tur, & ad suam praxim accõ-
modet; quod certè non ad
arbitrium cuiuslibet effingi,
sed ex diuina reuelatione &
sacræ Scripturæ instrumento
desumi debet. Quod verò ad
materiã meditationis in par-
ticulari spectat, duplex eius
ordo esse potest, dignitatis al-
ter, alter naturæ. Nam inter
fidei mysteria primum haud
dubiè locum tenent quæ ad
Deum & diuinas eius perfe-
ctiones pertinent, siue illæ in
se, siue in Dei operibus con-
siderentur: secundum verò
locum sibi vendicant ea my-
steria quæ Christi Domini

incarnationem, vitam, passionem, mortem, totamque salutis humanæ per eum restitutæ œconomiam, spectant: tertium denique quæ nostra sunt, peccata scilicet & peccato adiuncta mala, vitæ miseria, mortis pœna, iudicij, inferni, & consequentium tormentorum metus. Hunc autem dignitatis ordinẽ naturæ ordo inuertit, quæ cùm à rudioribus & minus perfectis operum suorum exordia ducat, & in tradendis disciplinis à notioribus inchoet; incipientibus ac vitæ spiritualis tyronibus sui primùm & suarum rerum consideratione proposita motus excitat pœnitentiæ ac mortifica-

tionis, quibus præteritæ vitæ maculas purgent; deinde ita purgatos ad vitæ Christi exempla & virtutes, quibus præcticè illuminentur, conuertit; ac demum per Dei diuinarumq; perfectionum contemplationem Deo ipsi vniti; qui ordo cum sit & utilior & facilior, familiarior quoque & magis frequenti in vfu est; hūc enim seruarunt quot præne hoc tempore fidei mysteria ad meditationis argumentum ex sacris Scripturis collegerunt. Quod quamuis ita fiat frequentius magno cum fructu, nil tamen vetat quominus aliquando aliquē Scripturæ librum, Psalmos præsertim, consequenter medi-

tari quis possit, authoris facti verba & affectus sine alio ordine expendendo: quem sane modum Patres antiqui, apud quos nondum distincta adeo & ad certa deducta capita fidei mysteria fuere, tenuerunt: quorum exemplo valde nonnunquam utile est aliquam sacrę Scripturę partem à capite ad calcem totam meditando percurrere.

Porro siue præscriptū prius ordinem, siue hunc Patrum modum sequaris, meditationis materia omnium optima est Christi vita. Is enim *antor est & consummator fidei, via, veritas & vita*, non tantum nobis à Patre propositus ad imitandum, sed etiam vt tan-

Heb. 12.
Ioā. 14.

24 DE ORATIONE

quam speculum sine macula, in quo Dei naturam diuinâsque perfectiones, virtutum omnium ornamenta, & peccatorum nostrorum deformitatē intueremur. Nam in historia & mysteriis vitæ eius sparsim omnia continentur quæ de vitæ purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ, totiûsque Christianæ perfectionis gradibus possunt à quoquam desiderari: nec minori etiam facilitate meditando molestia tædiûmq; leuatur, dum tanta rerum sibi inuicem permixtarum varietate, ac suauitate mysteriorum, mens tota, ac affectus voluntatis perfunditur: quo fit vt errore quodam mentis,
aut

aut præpostero voluntatis affectu ducantur ij qui quasi fastidiunt vitam Christi, eamque velut aridam ac sterilem meditandi materiam abiiciunt, atque ad alia quædam se sine ratione conuertunt. Ii profectò magno se ad meditandum auxilio priuant, neque intelligunt vitæ & passionis Christi mysteria ita esse materiam meditationis, vt ex iis tanquam ex animatis diuino Spiritu actionibus per Christi meritum, & lumen ad intelligendum, & vitalis calor ad affectus permouendos, in omnem nostram meditationem & actiones erumpat: ea enim Christi Domini mens fuit ac propositum vt

& actiones suas nobis ad imitandum proponeret, & gratiã ad eas meditandas & imitandas necessariã per easdem suas actiones impetraret.


Cùm ergo ex familiari continuãque vitæ Christi meditatione, cui semper addictissimus fuit, B. P. Ignatius spiritum illum Christi mentemque hausisset, ex eadem quoque documenta in Exercitiis spiritualibus conscripsit, quæ ad omnem perfectionis gradum summo cuilibet esse possunt adiumento. In vnum certè illud perfectissimum exemplar mentis oculos intendens, meditationes composuit, quibus se & Socios semper exercuit, vt Christo Do-

mino: tanquam regi seruiret,
 subq; eius vexillis militaret, &
 se ad omnē virtutis perfectio-
 nem eius exemplo atque imi-
 tatione promoueret. Quam
 etiam viam intriuerunt tum
 B. Xauerius imprimis, qui
 totam Christi Domini vitam
 singulis mensibus & ipse me-
 ditabatur, & summoperè cō-
 mendabat, tum cæteri om-
 nes quotquot siue ab ipso B.
 P. Ignatio, siue ab eius Sociis
 sunt instituti: vt in nostra So-
 cietate iam solemne sit ab ip-
 sa eius origine quotidianæ
 meditationis argumentum
 ex mysteriis vitæ Christi e-
 ruere: ex illo quippe vno ab-
 solutissimo exemplari, quod
 inspicere & imitari iubemur,

28 DE ORATIONE
in quotidianæ vitæ vsum vir-
tutum omnium perfectionē
transferre facile possumus: &
in eo vno, in quo sunt omnes
thesauri sapientiæ & scientiæ
Dei reconditi, diuitias ad om-
ne opus bonū fitas & colloca-
tas habemus; si modò ad in-
uestigandum tantum thesau-
rum intelligentia, ad cōple-
tendum affectus non desit.

CAPVT IV.

*Quæ sit causa efficiens
orationis.*

 ÆC adeò præstans
orationis actio non
ab vna duntaxat cau-
sa, sed à duabus simul Deo

nimirum & homine, procreatur. *Vtriusque enim, inquit* H5. 4.
Autor Operis imperfecti, opus est, quia & homo Deum necessarium habet, & Deus hominem ad iustitiam faciendam: nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit: sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat; sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Quanquã enim Deus, velut prima causa & vniuersalis, cæteris omnibus creaturarum suarum operationibus suam ipse operationem admisceat; singulari tamen modo hoc ora-

30 DE ORATIONE

tionis opus efficit. Quare Spiritus Sanctus dicitur postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, dum nos ut postulemus excitat, & in nobis ipse idem quod postulamus postulat: quatenus pro eò infinito, quo se & nos amore prosequitur, sibi nobisque omnia bona desiderat, atque adeò à sua bonitate mirâ quadam ratione, veluti per nos efflagitat quæ ad nostram perfectionem & suam gloriam dona per orationem impetramus. Atque id ipsum non tantùm de postulatione, sed etiam de gratiarũ actione, admiratione, Dei laude, honore, amore, cæterisque actibus & affectibus, qui in

oratione mentali exercentur, dici potest. Postulat ergo hoc modo, & orat ipse, & simul orare & postulare nos facit, gemitusque illos inenarrabiles in nobis excitat. Nam cum sit adeo præstans hæc hominis actio, & ex tot supernaturalium virtutum actibus componatur; eget sine dubio diuinæ gratiæ auxilio singulari, excitante torpentem, & terrenis curis defixam hominis voluntatem erigente, vt orare velit, & nimirum efficaciter, fructuosè, & perfectè velit, & vt re ipsa tandem quod voluit præstet, viresque suas omnes, & animæ corporisque facultates ad tantum opus conuenienter applicet.

or. 2. in
Pasch. *Neque enim, inquit Gregor.
Theologus, aliter terreni cor-
poris mentisque vinculis astri-
cta crassities Deum concipere po-
test, nisi diuinitus adiuetur.*

CAPVT V.

*Oratio alia ordinaria, alia ex-
traordinaria, & unde peti-
tur hæc diuisio, & quod in-
ter utramque discrimen.*

ATQUE hinc occur-
rit communis oratio-
nis partitio in eam
quæ ordinaria est, & eam
quæ extraordinaria. Ordina-
ria dicitur in qua vtraque
causa, Deus & homo, com-
muni modo & ordinaria ra-

tionem concurrat ; ita ut, nec alium Deum, quam qui à natura rerum, seu diuina potius in rebus omnibus ordinatione, exigitur, concursum exhibeat ; nec illius vi ac operatione vires hominis supra humanam & consuetam cum Deo agendi rationem extollantur. Extraordinaria illa est in qua, præter consuetum operandi modum, & ordinarias virtutis humanæ leges, Deus ipse, pro sua voluntate & singulari gratia, hominis in oratione facultates euehit.

Inter utramque hanc orationis formam differentia est multiplex. In primis enim in ordinaria, quanquam principaliter Deus operetur, cum ea

34 DE ORATIONE

fit opus gratiæ, non naturæ iuri debitum ; homo tamen ipse etiam simul agit non mediocriter. At in extraordinaria, etsi homo verissimè operetur, id tamen adeo parum est, vt diuinam potius operationem pati quam agere. ~~et~~ dicendus sit; quo modo sanctus Dionysius de suo Magistro Hierotheo loquens, *Erat, inquit, patiens diuina.*

Secundò inde fit vt ordinarius orandi modus pendeat plurimùm à naturalibus hominis facultatibus, quæ quo sunt perfectiores & melius dispositæ eo etiam plerùmque meditatio melius succedit: quare etiam humano labore atque industria informari.

possunt, & in eum finem rectè disponi; memoria quidem ad materiam seu res melius & distinctius repræsentādas; intellectus verò ad eas cōsiderādas attentius, & discursu facilius lustrandas; volūtas deniq; ad intellectus ductum sequēdum, & affectus pios ex propositis ab eo considerationibus eliciendos; quo ex labore sine dubio maiorem ex oratione fructum & vberiorē virtutum prouentum accedere necesse est, ita scilicet cū omnes animæ facultates compositæ & instructæ fuerint, suas vnaquæque partes felicitiùs ac efficaciùs præstabit. Verùm in extraordinario orandi modo hoc solùm

confert humana industria, vt per accuratū mortificationis studium & corporis & animi vires idoneas efficiat ad diuinas operationes recipiendas. Cū enim, modo supernaturali Deo mirabiliter & singulari prorsus fauore eas eleuante, ipsæ tunc agant; non tam hominis conatus necessarius est vt illud opus promoueat, quàm vt nullum operationi Dei impedimentum obiiciat. Quare præcipuum eius studium esse debet, vt per mortificationis, virtutumque omnium exercitia vniuersum amorem proprium expugnet, & omnem erga quascūque creaturas affectum exuat. Nam sublatis omnibus illis

impedimentis & omnibus viti-
 tiorum ac cupiditatis, quæ
 charitatis ardorē restinguit,
 prauis humoribus exhaustis,
 continuò diuini amoris flam-
 ma, ipsomet excitante Deo
 accensa, liberam sursum in
 Deum mentem rapit, eam-
 que omnis humani solatij fæ-
 ce expurgatam, diuini lumi-
 nis ac consolationis splendo-
 re illustrat. De qua re fusè
 Cassianus Collat. 14. cap. 2.
 & sequētibus. Et Bernardus: lib. 5. de
Prima, inquit, & maxima con- Cōsid.
templatio est admiratio maiesta-
tis: hac requirit cor purgatum,
ut à vitiis liberum atque exo-
neratum peccatis facile ad su-
perna leuetur. Et Basilius qui in Cō-
 proposito Magdalenæ ad stitut.
Mona.

38 DE ORATIONE

Christi pedes confidentis exemplo hæc subiungit, *Si tibi in animo fuerit Christi arcanis imbui & ad pedes illius assederis, totam ibi rem desereres familiarem tuam, & vacuus ab omni sollicitudine deges, proprij etiã corporis obliuiscere, atque hoc modo in contemplationibus versans familiarius cum eo colloqui poteris.*

Tertiò eodẽ pertinet quod ordinarius orãdi modus certis potest præceptionibus cõprehendi, atque adeò ab alio tradi & doceri, vt qui non longè recedit ab eo ordine & ratione operandi quam animæ facultates naturaliter sequi solēt. Deus enim naturæ author cùm supernaturalem

virtutem & operationem suã nostris conatibus adiungit, ita se nobis accommodat, vt eum ordinem qui naturæ est consentaneus, vt plurimum sequatur. Quare cum is noster agendi modus notus sit, non est admodum difficile certa de eo præcepta conscribere. De extraordinario verò nulla præceptio tradi potest, pendet enim ex solius Dei arbitrio, qui licet soleat multum in mortificatione & virtutibus exercitatos eo prouehere, potest tamen etiam alios adhuc humi iacentes ad altissimum illum veluti montem rapere. Quare multi aucthores qui de eã oratione tradunt præcepta suspecti esse

debent, & ideo multis in locis prohibiti, nec vlli huiusmodi nisi magna cautione adhibita legendi. Nam obscura prorsus sunt & homini incognita eiusmodi orationis principia; & verò modi ipsi loquendi quibus vtuntur adeo à communi vsu remoti, vt pauci vel nulli eos intelligere posse videantur. Quod si ipsi quæ propria experientia didicisse se putant ea se tradere aliis posse existiment, atque adeo à posteriori saltē, vt cum Philosophis loquar, id est ab effectis contemplationis naturam demonstrare, & ad certas præceptiones reuocare; multùm vereor, ne ipsi se plerùmque decipiant,

& non tam veram sublimioris illius orationis praxim, quàm excogitatam ingenij subtilitate theoriam, aut inanes conceptus imaginationis, obtrudant: vnde vix fieri potest vnquã vt quibuscumque suis præceptis quemquam ad orationis illius fastigium promoueant, quin potius ex plurimis, qui se illis informando tradiderunt, vix inuenias vel vnum qui se profecisse solidè agnoscat; cum sint tamen sine numero qui decepti sint: & alij quidem dum temerè eiusmodi commentis fidem adhibent, suum ipsi deinde ductum sequentes, vani, superbi, sibi suoque iudicio ninno plus adhære-

42 DE ORATIONE

scētes, in cogitationibus tandem suis euanescent, ac miserimo casu in præsumptionem præcipites acti, tantò à Deo longius recedant, quãtò se via illa compendiaria & citiùs, & propiùs ad eum accessuros sperabant: alij verò meliore fortuna vsi, aut potius Dei misericordia liberati, post multos frustra susceptos labores, capite sæpe viribus exhausto, delusos se tandem agnoscant & ingemiscāt.

Quartò etsi ordinarius orãdi modus Dei donum permagnum sit, extraordinarius tamen longè maius est & speciale diuini amoris argumentum, ex quo fit vt sit illud fere omnium, hoc paucorum.

Solet enim Deus eos duntaxat, quibus ad excellentia quædam opera tanquam instrumentis vti decreuit, vbi benè mortificati sunt, tanto dono instruere. Quare valde is aberrat qui proprio suo conatu, industria, & labore se eo pertingere posse putat, estque magna dæmonis illusio, si neglecto solidarum virtutum cultu ad arduum illud contemplationis cacumen, non excitatus Dei manu, contra potius suarum imperfectionum mole humi adhuc affixus aspiret. Quare Diuus Bernardus diuinam quidem maiestatem scrutari nos vetat, nisi ad eius contemplationem Deus vocet: vo-

luntatem verò accuratè vt in-
 uestigemus hortatur. *Ecclesia,*
 inquit, *non opprimitur; quia non*
scrutatrix maiestatis est, sed vo-
luntatis: nam quod maiestati
attinet, interdum quidem & in
ipso intendere audet, sed quasi
admirans, non quasi scrutans:
sed etsi aliquando per excessum
rapi in illam contingat, digitus
Dei est iste dignantis leuare ho-
minem, non hominis temeritas
insolentis Dei alta peruadens:
cùm enim Apostolus raptum se
commemoret, vt ausum excuset,
quisnam alter presumat morta-
lium huic se diuina maiestatis
horrendo scrutinio propriis in-
tricare conatibus, & importiuns
cõtemplator pauenda irruere in
arcana? Ergo formidolosa scru-

fer. 62.
 in Cât.



*tatio maiestatis, at voluntatis,
tam tuta quàm pia.*

Quintò oratio ordinaria medium quoddam excellens est ad omne vitæ spiritualis incrementum. Nam & seipsam ipsa perficit, & mortificationis, virtutumque omnium exercitia constituit & confirmat. Altera verò non tam mediij quàm finis rationem habet, & accedit quamproximè ad beatorum felicitatis similitudinem, solètque sæpè numero esse præmium diligentia & laboris circa orationem ordinariam, & virtutum solidarum, mortificationisque studium adhibitæ. Quare pertinet extraordinaria ad tertium perfectionis

46 DE ORATIONE
statum, vt ordinaria ad pri-
mum & secundum.

CAPVT VI.

*Orationis exercitium sensim so-
let perfici.*

PORRO vtriusque il-
lius orationis formæ
natura & perfectio
non consistit in indiuisibili,
vt aiunt, nec angustis circun-
scribitur finibus. Habet enim
vtraq; suos gradus, per quos
solet diuina prouidētia quos
ad perfectionis statum voca-
uit sensim promouere, modò
ipsi non desint, nec contra re-
gentis motum reluctentur,
sed potius ad Dei manum

conatum suum adiungant.

Frequens enim oratio, inquit lib. 2.
de Cain
& Abel
cap. 6,
Ambrosius, *quandam opera-
tur disciplinam orandi, quia
ipse usus docibiles Dei facit, in-
docibiles negligentia.* Et qui-
dem maximi momenti est sta-
tim ab initio conuersionis
huic studio vacare diligēter,
& orationis ordinariæ exer-
citium toto affectu comple-
cti; is enim Deum orandi ar-
dor & desiderium est veluti
fundamentum, basis, & men-
sura perfectionis, quam asse-
queris postea, & quoddam
earum rerum semen quas ad
Dei gloriam efficies. Quare
solet Deus iis quos ad excel-
lentē sanctitatis gradum vo-
care constituit, magnum ora-

48 DE ORATIONE
tionis desiderium initio comu-
nicare, quod, nisi impediatur,
crescit ipso orandi usu, sen-
simque Deo adspirante sacri
illius ignis calore anima in-
ardescit, qua in fornace mol-
lita cordis duritie, & absterfa
prauæ consuetudinis rubigi-
ne, dum accedit mortifica-
tionis malleus vitiosorum ha-
bituum asperitatē retundens,
ipsa facile Dei ducentis ma-
num sequitur, & ad omnem
quem ipse destinarit tum vir-
tutis, tum orationis etiam ex-
traordinariæ usum, & opus
diuinæ gloriæ, ab ipso met
Deo idoneum iam instru-
mentum suauissimè euehitur,
iuxta Sapientis sententiam.

Eccles.
39.

Si Dominus magnus voluerit,

spiritus

Spiritu intelligentia replebit illum, & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientie sue, &c. Et in oratione confitebitur Domino, & ipse diriget consilium eius, & disciplinam, & in absconditis suis conciliabitur. Volet autem Dominus hac tanta contemplationis gratia & fructibus iustum replere. Si, authore Bernardo integrè & perfectè cor suum tradat ad vigilandū diluculo ad Dominū qui fecit illū, & in conspectu altissimi pro delictis suis deprecetur, oculosq; semper habeat ad Dominū. Quod egregiè confirmat Ricardus à Sancto Victore. Per triplex, inquit, studium ad huius cognitionis celsitudinē perducimur; per studium operis,

ser. 57.
in Cat.

in Benjamin
part.
l. c. 79.

50 DE ORATIONE
*per studium meditationis, per
studium orationis. Multa enim
experimur operando, multa in-
uenimus inuestigando, multa
extorquemus orando. Cùm igitur
ab oratione ordinaria siue
meditatione inchoandum sit
perfectionis iter, atq; ipsa à no-
stro conatu & industria, coo-
perante diuina gratia, mul-
tùm pendeat; operæ pretium
est breuiter ea recensere quæ
conferre nos & possumus &
debemus, vt hæc nobis spiri-
tualis actio sit utilis.*

CAPVT VII.

De remota preparatione ad orationem, & eius impedimentis.

ANTE QVAM ea quæ ad huius excellentissimæ actionis proxim spectant exactiùs tradamus; necesse est vt, quæ ad causæ efficientis creatæ, id est illius qui orationi vacat, dispositionem pertinent, explicemus. Nam, vt in omnibus causis efficientibus accidit, quò melius hæc instructa erit, & maiori causandi vi prædita, atque ad agendum conuenientius applicabitur; eò e-

tiam melior, & præstantior hæc orationis actio confurget.

Anima igitur, vt rectè ad orationem præparetur, quædam imprimis impedimenta remouenda sunt, quæ vires eius infringunt & debilitant, deinde iis instruenda est adminiculis, quæ ad hanc actionem iuuent. Quamquam enim ad ordinem naturæ intellectualis pertineat, tenet tamen in eo locum infimum, ideoque nec statim ipsa supernaturalia, imò verò nec naturalia principia concipere, nec in principiis conclusiones ipsas eodem actu penetrare potest. Sed discursu eget quo pedetentim & cum labo-

re ac difficultate ad rerum sibi propositarum perfectam cognitionem perueniat. Iam verò ad res spirituales percipiendas quàm parùm ex se idonea est, quàm cæca? nam corpori immersa adeo est, ut non nisi per phantasmata percipere eas valeat, & partim ab ipsis externis obiectis, partim à sensibus, partim à phantasia & appetitu inferiore, à superiorum & diuinarum rerum cognitione & affectu vis eius intelligendi & appetèdi, quæ natura sua valdè debilis est, impeditur, & ad inferiorum rerum studium, curam, & desideria, pleurmque cum magnâ inordinatione detrahitur. Id ergo genus impedi-

54 DE ORATIONE
menta remouenda sunt, & vis
illaintelligendi, adeo infirma
& imperfecta, a dscitis aliun-
dè auxiliis corroboranda est,
vt ad meditandi, actionem fa-
tis esse queat.

Impedimenta verò qua-
tuor sunt potissimum quæ
sanctus Bernardus sic paucis
attingit, *sensus egens, cura*
pungens, culpa mordens, ea quæ
difficilius amouentur irruentiũ
imaginum corporearum phan-
tasmata. Quæ nos ordine a-
lio explicabimus. Primum
igitur sunt peccata non solùm
grauiora, de quibus hïc non
agimus, sed etiam venialia:
horum enim affectus si actu
inhæreant, vel si qui inhæse-
rant non omnino euellantur,

ser. 23.
in Cāt.

voluntatem ipsam charitatis feruore, qui verè orationis spiritus est & quasi anima, destitutam summoperè debilitant, atque ad terrenos affectus à supernarū rerum desiderio deprimunt, totamque animam Dei ope, si non indignam, saltem longè minùs dignam efficiunt, singularem verò illam, quæ tantoperè in oratione commendatur, in Deo confidentiam eneruant: denique omnem deuotionis & pietatis suauitatem exsurgunt. Qua de causa mirum in modum meditationem iuuat vitæ sanctitās & puritas: Deus enim mundis corde libentiùs adlaborat, seque puris mentibus clariùs viden-

56 DE ORATIONE

dum præbet. *Placeat, inquit D. Bernardus, necesse est facies que in Dei claritatem intendere potest; neque enim id posset nisi clara quoque ipsa esset & pura, utique transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem, alioquin ipsa dissimilitudine resiliiret, insolito reuerberata fulgore. Et Diadochus, Nemo potest, vel diligere vel credere, (qui sunt præcipui orationis actus) si ipse sui accusationem habeat: cum enim conscientia nostra seipsum arguendo conturbat, non sinitur mens odorem cælestium bonorū sentire, sed potius in ambiguum statum distrahitur, ita ut propter antegressam experientiam fidei, feruenter quidem id appe-*

ser. 62.
in Cāt.

de perf.
spirit.
cap. 23.

• *tat, assequi autem in sensu cordis per charitatem, propter crebros morsus & accusationes conscientia non possit.*

Alterum impedimentum est passionum non satis domitarū importuna vis secluso etiam voluntatis consensu, atque adeo omni peccato. Nam nisi mortificationis exercitio domesticæ illæ pugnae sopiantur; & ad imperiū rationis componantur omnes intestinæ passionum discordiæ, motus ipsæ suos in voluntatem & intellectum deriuant, animi statum & firmitatem concutiunt, pacemque turbant; cū tamen sine summa tranquillitate, nec audire nos Dominus in ora-

D. T.
22. q.
180. a.
2.

tione possit, nec nos illum.

Quare dici non potest quàm necessaria sit ad meditationem mortificatio, cuius defectus in causa esse solet cur incipientes non ita benè meditationi vel cum vtilitate, vel cum delectatione dent operam. *Si cupis orare ut decet,*

inquit Nilus, animam dolere nō afficias, alioqui frustra curris.

Tertium est sollicitudo & cura non tantùm rerum ad nos non spectantium, quæ sæpè peccato vel immortificatione non caret, sed etiam earum rerum quæ ex officio nobis incūbunt; qualia esse solent studia, functiones variae circa proximum, negotia etiam ad Dei gloriam in spe-

ciem suscepta. Nam earum rerum multitudo, varietas, & grauitas quibusdam sollicitudinum spinis mentem acriter pungit, variâsque importunè rerum gerendarum rationes suggerit, quibus omne pietatis studium extinguitur, robur animi languet, & orationis feruor tepescit.

Quartum denique est quedam cogitationum huc illucque errantium volubilitas, & instabilitas mentis, siue à natura vagæ, siue malo vsu & consuetudine secum habitare nescientis. Hoc enim impedimentum memoriam & intellectum adeo distrahit, vt nec vires omnes in oratione occupet, & postquam atten-

60 DE ORATIONE
tionem mens ad propositum
meditationis argumentum
tantisper adhibuerit, furtim
elabatur hæc cogitatio & a-
liò veluti peregrinatur, ita vt
sæpe diutissimè incauta, & sui
erroris ignara, in nescio qui-
bus nugis à se procul & Dei
præsentia habitet:

Aduersus hæc impedimen-
ta duplici præparatione mu-
nienda & corroboranda esse
anima videtur, remota alte-
ra, de qua paucis in hoc ex-
tremo capite agendū est; al-
tera propinqua, quam fusiùs
in sequenti persequemur. Est
igitur remota ad meditatio-
nem præparatio ardentissimū
sui profectus & vitæ sanctio-
nis ac purioris studium, ad-

MENTALI. 61

iuncta mortificationis exerci-
tatione continuâ, cum mo-
deratione & prudentia animi
in suspiciendis gerendisque
ordinate rebus omnibus, pro-
posita ante mētis oculos Dei
vbique existentis & omnia
inspicientis præsentia, cuius
in obsequium & maiorem
gloriam nostra omnia dicta,
factaque & cogitationes etiã
ipsas summâ stabilitate ac cõ-
stantiã tanquam in proprium
finem destinare semper, & sũ-
ma sollicitudine debeamus.
Et certè in perfectionis statu
ipsa vita religiosa nihil aliud
esse videtur, quàm si minus
perpetua oratio, saltem iugis
ad orationem præparatio: to-
ta enim ex mortificationis &

62 DE ORATIONE

pietatis sanctissimis exercitiis
contexitur, quibus vel re ipsa
Deum oramus, vel ex eius
voluntate eius res & negotia
gerimus, bonumque illius
nostro neglecto procuramus;
idque coram eo, vel colloquen-
te per internas inspirationes
& lumina, quibus excitat, a-
nimat, confortat, dirigit, re-
prehendit, consolatur; vel
spectante, ut presentem de
iis quæ agimus, consulamus
quid à nobis eo tempore fieri,
quemve agendi modum præ-
scribat, auxilium necessarium
petamus, eique continuo
nos nostraque omnia offera-
mus. Hoc enim non solum
officium seruorum est, qui
suum nihil, nec etiam seipsum

habent, toti in ius Domini
 transferunt; sed amicorum
 munus, & eorum amicorum
 qui spontanea sui obliuione,
 perpetuâque, aliisque omni-
 bus longissimè posthabitis,
 totos sese bono Dei procu-
 rando deuouerunt: quod re-
 ligiosi certè omnes status sui
 professione in suis omnibus
 actionibus, totâque vita fa-
 ciunt: sic à prima ad vltimam
 deductæ, sanctæque huius
 intètionis filo cõtextæ totius
 diei & vitæ religiosæ actio-
 nes, quid aliud sunt quàm o-
 ratio continua, vel ad ora-
 tionem præparatio? *Quid-* cap. 12.
quid, inquit Nilus, durum &
asperum toleraueris patienter,
fructum laboris tempore oratio-

nis reperies. Quare non mirum est si cum vitæ quotidianæ cursus non ita ut decet peragitur, nec oratio succedat, nec ullus in eius perfectione progressus fiat. Re-

Coll. 9.
cap. 2.

ctè enim Cassianus, quidquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingressionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus preparare debemus.

CAPVT VIII.

*Preparatio propinqua vespere
vel mane facienda.*

PREPARIATIO PRO-
pinqua ea est, qua v-
traque causa oratio-
nis mentalis, Deus nimirum
& homo, proximè disponi-
tur, & veluti completur in a-
ctu primo, vt in effectum in-
fluat. Quare consistit in iis
actibus, quibus omnes homi-
nis facultates, memoria, intel-
lectus, voluntas, imaginatio,
corpus ipsum in id opus a-
peantur, & Deus etiam ipse
excitatur, vt gratiæ suæ influ-
xum adiūgat. Hæc verò præ-

paratio tempore immediatè ipsam orationem præcedente inchoanda est: vnde si matutinis horis facienda est oratio, pridie vesperi dispositio hæc adhibenda est, quæ tamen optimè proxima dicitur, quia orationem morali quadam ratione proximè antecedit, vt pote inter quas solus somnus intercedit, qui non impedit quo minus vespertinum & matutinū tempus maximam inter se, quod ad animi actiones attinet, cognationem habeat. Idcirco vesperi incipiat hæc propinqua præparatio necesse est. Itaque tunc temporis materia præparanda est, & in sua capita distinguenda. Qua in

re hoc imprimis spectandum, ut materia solida sit, nec nimis angusta ac ieiuna, ut superius monuimus. Deinde ut ^{cap. 3.} ea ipsa materia, si opus sit, in duo triue puncta pro eius amplitudine distribuatur; ita tamen ut singula puncta solidam aliquam fidei veritatem contineant, possitq; quodlibet eorum esse certum ac solidum practicarum conclusionum & affectuum principium. Vbi verò id materiae amplitudo non permittit, satius est, ut indicat B. P. Ignatius, totam meditationis materiam vnico puncto concludere. Hæc porrò materiae præparatio fit lectione, siue punctorum iam prius ab ali-

quo authore distributorum,
siue Evangelici textus & bre-
uis super eum commentarij.

de scala
claustr.

Sine lectione, inquit Bernar-
dus, *erronea est meditatio*; er-
roneam vocat, id est, errori-
bus, distractionibus, & illu-
sionibus obnoxia, prout ex-
periuntur qui nulla sibi certa
proposita materia ad medi-
tandum accedunt. *Lectione e-*
nim, vt habet idem ibidem,
quasi fundamentum occurrit pri-
mo, & data materia mittit nos
ad meditationem.

Ita preparata materia se-
quitur deinde vt memoria ad
suum exercitium disponatur;
qua ex re tanquam ex princi-
pio & capite, vt constabit ex
iis quæ paulò post dicenda

MENTALI. 69

sunt, existimandum est præcipuam vim animæ in meditationis opus incumbentis pendere. Quare operæ præmium est declarare quid hæc memoriæ præparatio contineat. Vbi igitur disposita ad meditandum materia est, expedit circa vnumquodque punctum præuidere quid ad perfectam eius intelligētiam bene comprehendendā mente agitare oporteat. Atque vt res exemplo aliquo & paradigmate fiat notior, sit mihi propositū exempli gratia de Beatæ Virginis purificatione, & Christi Domini oblatione meditari; non mihi satis ad eam memoriæ præparationem erit ita puncta distinxif-

se vt primum sit. (*Detulerunt puerum in Ierusalem, vt præsenterent eum Deo tanquam primogenitam, offerentes pro eo consuetum munus par turturū, aut duos pullos columbarum.*

Secundum, *Simeon veniens eadem hora in templum, eum accepit in vlnas, & benedixit, & dixit, Nunc dimittis, &c.*

Tertium, *Anna superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Istraël.)*

Non erit, inquam, satis ita distinxisse puncta, sed circa singula præuidenda sunt ea quæ ad sensum cuiusq; percipiendum iuuare poterunt. Quamobrem ita me præparabo, vt circa primū punctum, (idem

verò de aliis quoque intelligendum est) statuã eius sensum intimè penetrare, & varios inde discursus, affectúsque elicere, singula percurrere & attendere, hæc aut similia apud me proponens. Cras mihi considerandæ erunt personæ, quæ in meditatione occurrunt, nempe B. Virgo, & Ioseph, Christus, Deus, & Sacerdotes. Deinde actio & oblatio B. Virginis, Iosephi, & Christi; item acceptatio Dei; item eorũ verba, quæ vel dicta sunt, vel dici potuerunt, expendenda. Denique internæ actiones intellectus & voluntatis omnium personarum: sic enim optimè præparabitur memoria

vt poſtridie rem totam & efficaciter repræſentet. Nec verò multum temporis requirit hæc præparatio, nam non eſt neceſſe perſonarum qualitates expendere, aut intimum verborum ſenſum rimari, ſed ſatis eſt ſi duntaxat determinariſ in particulari, quænam perſona, quæ verba, quæ actiones erunt conſiderandæ, & quaſi à longè proſpexeris quinam affectus ex ea meditatione excitari poſſint, quod ex aliqua illius myſterij lectione fieri commodiſſimè poteſt.

Tertiò præparanda eſt voluntas excitato deſiderio, eoque duplici; generali videlicet ſeruiendi Deo toto die cõſe-

sequēti: particulari verò futura meditationis tēpus fructuosè impendendi, & præuisos iam tum affectus, eos præsertim qui vtiliores esse possunt, excitandi. Hoc autem desiderium fructus est diei feruenter in piis operib. transactæ, vel examinis cōscientiæ bene instituti: hoc est *verbum* *quod dies diei eructat*, hic est *ignis quē Dominus venit in terrā mittere*, & in nostris cordibus semper ardere cupit, qui ne frigore nocturno victus extinguatur, iis imprimis fouendus est precibus, quas sibi quisque id temporis deuotioni suæ accommodatas elegit, vt iis fundendis dum vestes exuit, seque ad quiescendum

Ps. 13.

Luc. 12.

componit, Deo seiungat, eò
ardentius, quò magis eo po-
tissimùm tempore desides a-
nimi lāguere solent. Deinde
tegi illum oportebit cinere
compunctionis, qua fragilis
naturæ vicem doleas & inge-
miskas, quod huic corporis
seruituti & imbecillitati sis
ita obnoxius, vt tertiam vitæ
partem velut exanimis, & in
somnia quasi in sepulcro con-
ditus degas, sine Dei memo-
ria, sine fructu, sine sensu. De-
nique præuisa meditationis
in suos diuisæ articulos mate-
ria, & memoriæ in somnum
inclinanti obiecta, lignorum
vt strues erit, in eum finem
composita, vt cùm primùm
die postero somnus abscesse-

rit, inspirante cælitus diuinæ
benignitatis aura, nullo ne-
gotio Dei amoris ignem cõ-
cipiat. Quis non beatos dixe-
rit quotquot eo sibi compa-
rato igne dormiunt, quibus
si quando de nocte euigilent,
concepta illa ante somnum
Deo famulandi cupido ad-
pectus aduolabit, & in ani-
mo bene disposito ingens di-
uini amoris incendium con-
festim excitabit? Cùm verò
surgendi tempus aduenerit
hoc eodem desiderio ocyus
& longè efficacius quàm cã-
panæ signo, vel eo cui hæc
prouincia demandata est ex-
citante, excusso corporis a-
nimiq; languore è lecto erũ-
pent, collectisq; viribus ani-

76 DE ORATIONE

mi sanctissima Trinitate, Beata Virgine, Sanctisq; de more, pro cuiusque deuotione, salutatis, solita precationū iacula in coelum frequenter ac strenuè dirigent, eò nimirum totâ incumbentes animâ vt se quàm diligentissimè parent in lucem & conspectum diuinę maiestatis prodituri, eius voluntatis percipiendæ auidi, ac in ea toto die officijs omnibus exequenda indefessam operam, studiúmque destinantes; vt quemadmodum in eum finem corpori nocturnam quietem indukerât, vt Deo seruire possët; ita nullam diurnarum occupationum partem à diuino obsequio vacuam esse velint. In-

Ambr.
scr. 19.
in Psal.
148.

terim peruoluenda sunt ac primoribus veluti degustanda labris quæ ante somnum tractanda in oratione parata fuerant, tresque animæ potētiæ prælibatis vesperi deliciis ad orationem quasi ad suauissimum conuiuium excitandæ.

Et verò hoc vnum tanquã summam & caput omnium, velim perfectionis studiosus intelligat, persuadeâtque sibi hæc omnia animanda esse illo bonorum omnium operũ viuificantē spiritu, amore videlicet diuino, Dei gloriæ & voluntatis eius, omnibus in rebus quam diligentissimè procurandę cupidissimo: hoc enim se Propheta ad medi-

tandum excitatum esse dicit;

Ps. 118.

Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est. Et iterum: Et meditabar in mādatis tuis qua dilexi. Et sane sine serio hoc & ardēti desiderio quāmaximè placēdi Deo, eique se tradendi, languebit sine dubio vespertina ad orationem præparatio, turbabitur nocturna quies, & deuotio matutina; ipsaq; tota meditatio frigescet. Hoc enim desideriiū vinculū quoddam est quo tota vita nostra, actiones, & orationes, cōtinua veluti serie connectuntur, vt dū mutuā sibi operā præstant, & ab eo desiderio tota orationis vis pēdeat, & oratio desideriiū magis incendat. Hoc, inquit.

Augustinus, quod ait *Apostolus*, sine intermissione orate, quid est aliud quàm beatam vitam, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderant? Semper ergo hanc à Domino desideremus & oremus semper, sed ideo ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocemus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Est ergo hoc desiderium, vt sentit Sanctus Pater meditationis scopus, & incentiuum; tantumque in eo momenti ponit, vt

Epist.
ad Pro-
bam vi-
duam.

80 DE ORATIONE
continuum desiderium conti-
nuam dicat esse orationem,
quam etiam vult per certa
horarum & temporum inter-
ualla nos repetere, *ut nos ipsos
admoneamus quantum in hoc
desiderio profecerimus, nobis ip-
sis innotescamus, & ad agen-
dum nos ipsos acrius excitemus.*

CAPVT IX.

*De presentia Dei & reuerentia
eius summa Maiestati
debita.*

IAM sic comparata
anima dum tempus
expectat orandi, di-
missis aut potius prohibitis &
exclusis aliis omnibus curis

MENTALI. 81

& cogitationibus, interna simul & externa solitudine hæc tria faciat.

Primò Deum sibi præsentem constituat ante oculos, nec enim aliter eum posset vt primam veritatem consulere, & audire loquentem; nec vt supremum principem adorare vt decet, illique suum obsequium offerre; nec vt optimi parentis atque amici bonis ac familiaritate iucundissima frui; nec gratam beneficiorum acceptorum memoriam conseruare; nec noua etiam beneficia aut postulare, aut promereri; nec deniq; solida vlla virtutum proposita perfectionisve consilia inire. Hac sanè in parte negligen-

82 DE ORATIONE

tiores plerique dum orare vi-
 dentur, verè non orant, sed
 inani tantùm orationis specie
 fucum quodammodo sibi fa-
 ciunt. Neque tamen est adeo
 operosum ac difficile hoc ne-
 gotiũ, cùm præsertim Deus
 cœlum & terram suâ diuini-
 tate repleat, & vbiq; sit essen-
 tiâ, præsentia, & potentia; at-
 que adeo eius infinita boni-
 tas, misericordia, iustitia, sa-
 pientia, amor, potentia, cæ-
 teræque diuinæ perfectiones
 cuncta ambiât & cõplectan-
 tur. Et licet omni tẽpore in eo
 habitemus, imo & *viuamus*,
moueamur & simus, nec proin-
 de longè ipse sit ab unoquoque
nostrum, vt eruditè Beatus
 AA. 17. Paulus coram Atheniensibus

colligit, tamen orationis tē-
 pore ipse ad nos [propius
 quodammodo accedit, &
 proinde hæc nobis diuinæ
 præsentia cogitatio atque v-
 sus longè familiarior quàm
 quolibet alio tempore debet
 esse, cùm pietatis ex eo sensus
 omnis, & orationis fructus,
 tanquam ex vno capite ac ve-
 ro fonte deriuetur. Atque
 hoc vt dixi nō est admodum
 difficile, si meditationis ma-
 teriam ad diuinam immensi-
 tatem & intimam in rebus
 omnibus præsentiam accom-
 modare, & cum nobis etiã ip-
 sis cōponere velimus. Quid
 enim prohibebit quo minùs
 Deum nobis proponamus,
 modo vt infinitum lumen

quod nos totos ex ignorantia & peccatorum tenebris conflatos, vt ita loquar, tenebriones vndequaque vestiatur & circumcingatur qualem sole iustitiæ Deo mulierem Ecclesiæ typum amictam diuinæ literæ depingunt: modò vt flammam aut fornacem in cuius medium insiliamus, mutationesque ferri candentis experiamur, ita vt nostris pectoribus insitum frigus soluatur; nostris cordibus innata duricies liquecat, & verò vt quos peccatorum nigredo foedabat, diuina hæc flamma virtutum omnium splendoribus illuminet. Qualem Moyses rubum ardentem nõ combustum describit; quales

Apoc.
12:

Daniel tres pueros in Baby-
lonica fornace placidissimè
deambulantes, auræ suauissi-
mæ benignitate perfusos, ta-
lem te Deúmque cogita, qui
& naturæ in tuam perniciem
sylvæspicentis spinas inflâmet,
& prauæ consuetudinis vin-
cula soluat; teque ad omnē
veræ virtutis & beatæ vitæ
viam quam expeditissimum
exhibeat. Propone tibi si ve-
lis Deum vel vt misericordiæ
infinitam abyssum, in quam
tuas omnes misérias summâ
securitate demittas; vel vt
suauitatis omnis & consola-
tionis oceanum, in quem te
aridus, & solatiis spiritualibus
vacuus proicias; vel vt po-
tentia & essentia immensum

pelagus, in quo tuum nihilum
& infirmitatem, ne sibi reli-
cta pereat & euanescat, repo-
nas. Cauendum tamen ne in
ea cogitatione imaginationē
violenter defigamus cum cu-
ra & labore nimio, id enim
posset caput grauissimè lede-
re: quare fatius est simplici
actu fidei Deum quem non
videmus, præsentem crede-
re, sine alia eius similitudine
vel imaginatione, perinde
atque quando in loco obscu-
ro præsentem aliquem cogi-
tamus. Hoc autem modo
Deus solâ fide præsens factus
seu apprehensus potest, & ve-
ro debet concipi vt infinitè
bonus, vel potens, vel sapiēs,
vel iustus, prout materia me-

ditationis exigit: his enim & similibus modis fouetur desiderium illud placendi Deo supradictum & magis inardescit, humilitatis etiam actus inde nascitur, cum sine Deo præsente nihil nec esse, nec posse nos agnoscimus; unde & ingēs paratur in Deo fiducia, cum scilicet intelligamus nos omnia posse in eo qui nos præsenti suo auxilio confortat: quibus omnibus virtutum actibus valdè benè anima ad meditandum disponitur, & in ipsa oratione iuuatur. *Is enim*, inquit *Climacus, qui dum orat Deo se assistere intimo cordis affectu existimat ut columna perstabit immobilis.* Verùm de Præsentia

grad.
18.

88 DE ORATIONE

Dei habes alibi nostrū opusculum, in quo peculiarem quendam modum, quo præsentem tibi Deum in oratione constituas, inuenies.

Secundò non debet hæc Dei præsentia solo intellectu contineri, sed necesse est ut inde resultet in affectum interior erga illum reuerentia, & adoratio, quæ quò maior est, eò melius disponit animã, & sine illa nihil est præter ariditatem & distractionẽ expectandum; Et hæc quidem interna reuerentia actus est voluntatis, supponens in intellectu cognitionẽ infinitæ Dei præsentis excellentiæ & propriæ vilitatis, &, ut ita dicam, nihilitatis; inde enim voluntas infinitè Dei maie-

statem æstimans, illi se prorsus, omnesque vires subiicit, non tantum vt iusto iudici, quæ esset seruilis reuerentia, sed vt pio principi, vt principio ac fonti sui esse & bonorum omnium: ita Angeli omnes, Sanctique & verò ipse etiam Christus homo coram infinita Dei maiestate suæ nihilitatis conscij profundissimè sese demittunt. Atque huius internæ reuerentiæ praxim docuit Abraham oraturus, *Loquar ad Dominum, inquit, cum sim puluis & cinis.* Gē. 18. Porro licet ea præcipuè necessaria sit initio orationis, tamen eo toto tempore, quo cum Deo agimus, retinenda est, præsertim quando cum

illo colloquimur, expeditque
valdè vt affuefcamus ita de-
center cum eo agere, & cum
eâ animi demiffione, humili-
tate, ac pudore, coram eo
comparere, vt nihil in inti-
mis etiam noſtri cordis recef-
ſibus lateat, quod vel mini-
mùm tâtæ oculos maieltatis
offendat. Neque enim ſola
exterior corporis compositio
& cultus reuerentiæ inter-
no humilitatis affectu vacuus
Deo placere poteſt, qui in o-
rante non ſolùm corporis, ſed
mentis ac cordis habitum
præcipuè intuetur, cùm ex
eo veluti principio corporis
omnis motus ac quies, ſi verè
pij ſint, deriuari debeant. Et
hoc certè eſt Deum in ſpiritu

MENTALI. 91

& veritate adorare, ita scilicet vt primas in oratione partes teneat mens, & corpus ipsum quod in se mens habet externâ ipsa compositione & habitu verè prodat.

Atque ex dictis patet varios posse esse gradus huius tum præsentiaë, tum reuerentiaë.

Nam nonnulli simplici fidei lumine Deum apprehendunt vt præsentem, exaudiëntem, & intelligentem, imò & inspirantem quid petant:

Alij maiori luce perfusi illum veluti oculis intuentur adeo sibi vicinum, aut etiam intimum vt eum quasi sentire videantur; ex quo longè maior reuerentia, delectatio, animi quies, attentio, & recolle-

etio sequi solent. Cauendum autem omni ratione est ne vlla imaginationi vis inferatur, quia vt plurimum cum quis in eo plus æquò laborat illusionis & valetudinis periculum subit.

Tertiò internæ etiam reuerentiæ, vt iam indicavi, iungẽdum externum eius signum est: quæ in parte plerique solent coram Deo sese prostertere & terram osculari, agnoscetes dignos se qui in infernum etiam à Dei præsentia procul amendantur, vel profitentes se esse cinerem vilissimum in quem abirent, imò etiam in nihilum, nisi Dei præsentis ope fulcirentur, aut aliquem alium eiusmodi

affectum excitantes: Alij tantum genua flectunt, qui reuerentiae externae modus tota oratione retinendus est ab omnibus vt plurimum, & à Sanctis maximè probatur, & conuenientior est etiam attentioni : id si fieri non potest standum est, vel, quod multos iuuat, saepè genua flectenda & surgendum per vices: debilioribus permittitur humilior aliqua sedes, quo tamen in casu interior reuerentia maior esse debet, vt exterioris defectum suppleat. At in colloquiis semper genua flectenda quantum fieri potest. Ad eandem reuerentiam externam spectat compositio totius corporis, vt nihil offen-

dat eum quem habemus præ-
sentem, caput sit apertum &
quietum, manus etiam quie-
tæ, ut plurimum iunctæ, ocu-
li demissi non vagi, omnes
denique motus vani & super-
flui abesse debent.

Quantū verò conferat ora-
tioni congrua corporis cōpo-
sitiō egregiè tradit August.

de cur.
pro
mort.
c. i.

*Orantes, inquit, de membris
sui corporis faciunt quod suppli-
santibus congruit, cum genua
figunt, cum extendunt manus,
veletiam prosternuntur solo, &
si quid aliud visibiliter faciunt:
quamuis eorum invisibilis vo-
luntas, & cordis intentio Deo
nota sit, nec ille indigeat his in-
diciis, ut ei humanus pandatur
animus; sed his magis se ipsum*

excitat homo ad orandū, gemen-
dūmq; humilius atq; feruētius,
& nescio quomodo cū hi motus
corporis fieri nisi motu animi
precedente non possint, iisdem
rursus exterius visibiliter factis,
ille interior inuisibilis, qui eos
fecit, angetur: ac per hoc cordis
affectus, qui ut fierent ista præ-
cessit, quia facta sunt, crescit.
Hæc Augustinus.

CAPVT X.

Oratio preparatoria.

HÆC oratio præcedit
immediatè medita-
tionem; sed fit ad ar-
cenda impedimenta oratio-
nis tria. Primum est indigni-

tas orantis ob peccata, quorum idcirco venia petenda est humiliter.

Secūndum est intentio minus recta, nōnulli enim quærunt in oratione tantū vnde doctiores fiant, vel vnde aliis videantur meliores, vel magis spirituales, vel vt sensibili cōsolatione fruantur, alij tantū vt suo fungantur officio, & faciant quod alij pro more faciunt: hæ intentiones corrigendæ sunt, quod fit vtendo meditatione formaliter & expressè vt medio ad cognoscendam Dei voluntatem, atque adeo intendendo solam Dei gloriam. Quare hæc oratio continere debet perfectam sui & suarum omnium

virium oblationem , intelle-
ctus cum suis habitibus & a-
ctibus; voluntatis cum oin-
nibus etiam suis virtutibus,
affectionibus & desideriis;
corporis denique ipsius &
eius afflictionis , laboris ac
motuum omnium, vt ex iis
velut odoribus simul contu-
sis, & eo sacro igne accensis,
fiat suaue Deo thymiama;
imò iis ita immolatis fiat ho-
stia pro peccatis : maximè si
proximæ meditationis argu-
mentum id postulet ; aut ho-
stia pacifica in gratiarum a-
ctionem pro tot beneficiis;
aut holocaustum ad solam
Dei gloriam vt in ipsis, cum
ipsis, & de ipsis id operetur
quod ad maiorem honorem

suum fore intellexerit. Hæc oratio vt benè fiat, proderit valdè ignis ille desiderij perfectè Deo placendi, qui vt semper debet ardere in corde nostro, ita maximè cùm sacrificium hoc a deo excellens diuinæ maiestati offerimus.

Tertium est infirmitas & ignorantia nostra, nam cùm nesciamus quid & quomodo ita orare debeamus vt impetremus, eius certè lumine egemus qui solus scit quomodo velit orari, sic vt exoretur. Accedit ad eam ignorantiam infirmitas corporis & animi, qui facilè difficultate frangitur, præsertim cùm præter peccata, quibus mordetur; passionibus, quibus turbatur;

curas superfluas, quibus angitur; sensuum mentisque naturales euagationes, quibus distrahitur; præter ista in quâ impedimēta, importunus hostis omni quo potest impetu & arte, ut orationem impediat, conatus omnes intendat. Porro liberum cuique est quibus volet uti verbis, imò sola mente hanc orationem concipere.

CAPVT XI.

Præluuia.

VT facilius succedat meditatio, & intellectus, voluntasq; suū munus rirè obeant, aliqua in-

roductione ordinariè opus est, qua aliqua similitudine rei contemplandæ imaginatio imbuatur, clausisque externis sensibus interni omnes in illud vnum obiectum traducantur, totique in eo defigantur. Non est nobis difficile de iis rebus, quæ oculis vel aliis sensibus subiiciuntur, cum aliis diu colloqui & cogitare; At de iis quæ procul absunt, longè difficilior est, ea queratio est, cur de rebus spiritualibus tanto cum labore cogitemus, discurremus, & cum Deo colloquamur. Ad minuendam ergo hanc difficultatem inuenta sunt Præludia tria, quorum duobus primis obiectum in oratione cõ-

siderādum præsens quodammodo sensibus & imaginatio-
ni efficimus.

Primum enim est totius hi-
storix aut materiæ contem-
plandæ per singulas partes,
prout antea diuisa est, breuis
commemoratio, quæ eam
totam intellectui sistat & re-
præsenteret.

Secundum verò vocari so-
let loci constitutio, seu visio
imaginaria, quia scilicet phā-
tasia, imaginatiuâque pars a-
nimi quendam etiam loci in
quo res peracta fuerit, alia-
rûmque circumstantiarum
vt personarum & cætera-
rum imaginem sibi ac spe-
ciem corpoream effingit;
hæc enim imaginatio intel-

lectus discursum mirum in modum iuuat, & affectibus voluntatis inseruit, cùm per eam affectus sensitiui appetitus excitentur, vnde nascitur sensibilis deuotio. Cauenda tamen vis nimia & illusiones, quare qui cum labore imaginatur necesse est vt citiùs se expediat, ne caput defatiget in re non tanti momenti, efficiatùrque minùs aptus ad solidos considerationis actus, & affectus voluntatis eliciendos. Nec verò multùm temporis in his præambulis collocandum est, cùm spectent tantùm ad dispositionem. Vtile plerisque est vidisse depictum in imagine mysterium quod

meditantur.

Tertium Præludium est maximi momenti; nam præter vniuersalem finem orationis, aliquâ iam deuotione excitatus animus particularem sibi aliquem materiæ congruum designat, & à Deo gratiã aliquam & beneficiũ petit, vt verbi gratia Christi amorem & imitationem in tali virtute, aut quid simile: hæc verò definita finis peculiaris intentio impedit ne vaga sit meditatio; quod tamen ita faciendum est, vt si Spiritus sanctus aliò nos conuertat, non resistamus. Atque hæc cùm præmissa fuerint, nihil ex parte causæ efficientis ad meditationem re-

104 DE ORATIONE
ctè & vtiliter peragendam
desiderari videbitur.

CAPVT XII.

Meditationis natura.



IC propriè incipit
Mentalis oratio. Por-
rò meditationem de-
finit Sanctus Bernardus hoc
modo : *Meditatio est studio-
sa mentis actio , occulta veri-
tatis notitiam ductu propria ra-
tionis inuestigans.* Quæ de-
scriptio videtur conuenire
omni meditationi , & studio,
quo vel naturales veritates lu-
mine rationis inuestigamus ,
quod sæpè multùm curiosi-
tatis habet , & ideo veræ me-
ditationi plurimùm obest ;

in scala
claustri.

vel quo veritates supernaturales expendimus, vt noui aliquid circa eas intelligamus, & hoc est studium Theologicum, non autem oratio. Hæc ergo meditatio, de qua hîc agimus, oratio est, ac proinde religiosa actio mentis, quæ idcirco procedere debet ex affectu colendi Deum, atque adeo cultum ipsi re ipsa exhibet, eumque excellentissimum, nimirum per actus prestantissimos intellectus & voluntatis. Nam voluntas ex affectu diuini cultus & gloriæ, intellectum per fidei actus religiosè subiicit primæ veritati, vt eam honoret, eundemque applicat, vt circa fidei principia discurrat, veri-

tates antea notas expendat, & accuratiùs examinet, vel ob Dei reuelantis authoritatem perfectiùs & firmiùs credat, & deinde ex ipsis deducat nouas quasdam alias notitias, idque eo fine vt in se excitet maiorem Dei æstimationem, deuotionem feruentiorem, ardentiora desideria ei seruiendi: nam sicut meditatio ex affectu colendi Deum oritur, ita ordinatur ad excitandum affectum illi seruiendi, & ideò in Psalmis

Ps. 118. vocatur *meditatio cordis*, quia ex affectu procedit, & ad illum tendit, inquirendo non tantùm veritates speculatiuas, sed & practicas, non tantùm quid verum, sed quid e-

tiam bonum & appetendum, ut affectum excitet. Est igitur oratio mentalis practica, intellectum illuminans practice, non tantum ut sciat, sed ut veritates notas, earumque rationes ad mores & ad actiones tum internas, tum externas rite instituendas & obeundas applicet: vnde efficitur ut ex meditatione tria hæc consequantur.

Primò prudentia, id est conclusio aliqua practica deducta per discursum ex præuis fidei actibus, ex quibus tanquam ex principiis colligatur quid amandum, quid timendum, quid desiderandum, quid fugiendum, quid petendum, quomodo homo

sentire de se debeat, quomodo de Deo, quomodo de honore, fama, gloria, rebus caducis, & æternis.

Secundò affectus voluntatis, eadem ipsa quæ intellectus ex principiis fidei collegerit, vel repudiantis, si mala sint; vel amplectentis, si bona. Et certè ad eos affectus ex sua natura meditatio refertur, suntque ij veluti cibus anime, quo si destituatur, omni etiam succo pietatis & virtutum solidarum robore deficiens, ieiuna prorsus & inanis in omni bono opere languescet. Et quamquam interdum fidei & rationis lumine illustrata mens videat meliora, probetque; voluntas tamen affectibus, ceu

vitali genio defraudata, cū
 ad ea assurgere pro sua imbe-
 cillitate non possit, ad dete-
 riora prolabetur: hæcque præ-
 cipua est causa cur orationem
 Chrysostronus animæ ner-
 uos appellet. *Nimirum, in-*
quit, quemadmodum corpus ner-
uis coheret, currit, stat, uiuit,
& cōpactum est, adeo ut si ner-
uos incideris uniuersam corpo-
ris harmoniam dissolueris; iti-
dem anima per sanctas preces si-
bi constant, ac compinguntur,
ac pietatis cursum facile pera-
gūt. Ita Chrysostronus. At de
 affectibus postea pluribus.

Lib. 2.
 de orā-
 do
 Deo.

His tertio succedit oratio,
 siue colloquium, quando ni-
 mirum meditatione excitata
 anima vehementi desiderio

HO DE ORATIONE

æstuat habendi quod sibi cō-
 modum videt, quod quo-
 niam per se obtinere non po-
 test, illud supplex à Deo pe-
 tit. Quod si iam aliqua bona
 à patre luminum & authore
 gratiarum acceperit, de iis
 Deum laudat, & gratias ut
 par est, summa grati animi si-
 gnificatione agit; deniq; om-
 ni obsecrationis, petitionis,
 & obsequiorum genere bene-
 ficam & liberalem Dei volū-
 tatem studet omnino quan-
 tum in se est demereri. Hæc
 omnia eleganter Bernardus
 tradit, *Meditatio*, inquit, *quid*
sit appetendum diligentius inqui-
rit, & quasi effodiens thesaurum
inuenit, & ostendit: sed cum per
se obtinere non valeat, mittit

loco
 sup. ci-
 tatio.

MENTALI. HENOS ad orationem, oratio se totis viribus erigens ad Deum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suauitatem. Et infra: Meditationē ait sine oratione esse infructuosam.

CAPVT XIII.

Meditandi praxis.



MODVS meditando plurimum pendet à desiderio supradicto & affectu placendi Deo, sic enim à Deo impetrabit anima lumen quo facile intellectus concipiat, & solidè iudicet, constantérque perseueret in cogitatione & discursu rerum ad Dei honorem per-

inentium : naturale quippe est, & experientia ipsa notum amanti nec verba deesse, nec conceptus, nec verò etiam intimos cordis affectus, quos cum amico communicet. Et quanquam huius desiderij vehementia faciat, vt tñc esse optima meditatio soleat iuxta sancti Antonij sententiam, quando anima non aduertit quomodo meditetur, aut oret; sed ipsa suo affectu veluti abrepta de solo suo dilecto cogitat, nō de modo quē in orando tenet; ad quem modū cū aduertit, in eo defixa nō nihil à dilecti comprehensione retardatur: quia tamen non est omnibus obuium vt conceptis diuini amoris flam-

MENTALI. 113

mis statim inardescant, nos-
que Deus humano modo re-
git; idcirco fit vt adhibenda
etiam summa nobis cura sit
& tenenda aliqua ratio, qua
illi in oratione affectus, seu
primùm excitentur, seu ali-
quando iam sopiti reuiu-
fcent. Qua de re varij varia
præcepta tradunt. Nos Bea-
ti Patris nostri Ignatij præce-
ptionibus insistemus, quibus
nihil circa orationis mentalis
praxim, vel facilius, vel ma-
gis solidum occurrit.

Beatus igitur Pater noster
Ignatius totam meditationis
praxim comprehendit exer-
cizio trium animæ potentia-
rum, memoriæ, intellectus
& voluntatis, seu, quod eodē

recidit tribus mentis operationibus, & affectibus voluntatis; memoriæ nomine comprehendendo quidquid ad simplicem rerum apprehensionem ac iudicium pertinet; nomine intellectus discursum seu ratiocinationem; nomine verò voluntatis affectus omnes, & motus voluntatis.

Primum igitur circa veritatem in meditatione propositam exercenda est memoria per primam & secundam mentis operationem, apprehensionem scilicet atque iudiciũ; sic vt reuoces in memoriam quæ ad eam veritatem illustrandam, & intimè penetrandam iuuare possunt; tum ex iis quæ in præcedenti præ-

paratione cogitaueris, tum ex iis quorum etiam aliunde ex aliqua alia cognitione poteris meminisse; expensis attentè circumstantiis, gestis etiam & verbis personarum, quæ in eâ parte meditationis occurrunt, donec totius mysterij verum sensum & intelligentiam distinctâ & actuali cogitatione assequaris; accedente insuper iudicio diuinę fidei & assensu intellectus, quo rem ita se habere firmissimè & sine vlla dubitatione credas, idque propter autoritatem primæ veritatis, cui religiosè te subiicias, intellectumque in obsequium fidei captiues iis assensum præbendo, quæ circa materiam pro-

positam summâ suâ benignitate Deus hominibus reuelauit, vt cultum diuinæ maiestati & debitam reuerentiam exhibeas.

Vbi duo sunt aduertenda. Alterum est hoc exercitium memoriæ in his duobus positiuè consistere. Et primò quidem in attenta ac diligenti totius puncti, singularumque eius partium apprehensione, qua verum eius sensum & intelligentiam penetremus, & quæ in eo latet veritatem, totam quodammodo, atque actu præsentem possideamus, subiectæ materiæ & circumstantiarum eius ratione imprimis habita. Nam cū omnis meditationis materia ad

hæc duo ferè capita reuocari possit, vt vel sit res aliqua gesta ac pia historia, qualis est vita & passio Christi, cæteraque fidei nostræ mysteria: vel veritas aliqua à Deo reuelata, ipsiq; sacrae Scripturæ verbis comprehensa, hoc solùm inter vtrumque discrimen intercedit, vt in priori personarum, verborum, ac gestorum, cogitationum etiam, affectuum, atque intentionum circumstantiæ magis ad praxim vtilis & accommodatæ expendantur: in posteriori verò in significatione verborum latens sensus eruatur, non curiosa quadam & vana indagatione, sed solida, quæ ad opus & operationem

TIS DE ORATIONE

virtutis mouere efficaciter possit. Secundò verò & potissimùm consistit hoc exercitium memoriæ in iudicio fidei diuinæ, & lumine practico, quo rem credamus, quam apprehendimus, non vt aliquid fictum, aut naturalem veritatem, per opinionem, fidem humanam, aut etiam scientiam, sed vt veritatem supernaturalem, propter solam Dei reuelantis testificationem, quem vt colat, eius auctoritati se intellectus religiosè subiicit, eiusque dictis summâ reuerentiâ firmissimû præbet assensum: lumine, dixi, practico, quia hoc iudiciû non tam mentem illustrare ad sterilem aliquam cogni-

tionem speculatiuam, quàm voluntatem etiam ipsam fecundo quodam calore, quem virtute in se continet, ad omne opus virtutis, & studiosarum actionum exercitationē inflammare.

Alterum est hoc memoriæ exercitium esse veluti basim & fundamentum totius meditationis, seu quatenus meditatio est discursus supernaturalis, seu quatenus naturâ suâ tendit in pios circa Deum & res diuinas affectus. Nam quemadmodum veritas fidei diuinæ est principium conclusionum supernaturalium, & practicarum, quæ in ea latent; atque etiam affectuum quos voluntas circa obiectū

120 DE ORATIONE
propositum ex iis conclusio-
nibus elicit: Ita eiusdem ve-
ritatis fidei distincta & firma
apprehensio est principium
discursus quo huiusmodi cō-
clusiones cernuntur, & affe-
ctuum in quos ipsa voluntas
erumpit. Quamobrem si no-
ster intellectus diuinæ fidei
lumine sit à Deo illustratus,
maiori etiam suo studio &
contentione rebus à Deo per
reuelationem propositis ad-
hæserit; fiet sine dubio vt &
ipse intellectus veritatem in
meditatione propositam cla-
riùs perspiciat, latentésque in
ea tanquam in principio con-
clusiones practicas & clariùs
intueatur, faciliùsque eruat,
voluntatíq; proponat, & ipsa
dein-

deinde voluntas motum & excitationem intellectus sequens in omnibus, ad maiorem eius contentionem, maiori etiam cupiditate & ardore in suis affectibus accendatur. Quare omni studio curandum est vt hic fidei actus viuus, firmus, & intensus sit, adhibitis iis rationibus, quæ ad bene intelligendum & penetrandum propositæ veritatis sensum facere possunt; in cuius etiam assensum per piū credēdi affectum intellectus liberè est inclinandus, imo & breui oratione excitandus aut vrgendus est. Et hoc certè qui studiosè faciet experietur sensim fidei lumen ab exiguis licet interdum initiis,

accedente nouo Dei actuali auxilio, ad magna plerumque incrementa sese extendere. Itaque totam orationis materiam peruadere ac illustrare, vt miretur tam ingentem sese campum in argumento meditationis aperire, quo intellectus per multiplices conclusiones practicas liberè iucundèque decurrat: accedente præsertim pio voluntatis motu, qui quemadmodum per discursum intellectus creatur: Ita eundem intellectum ad alios atque alios discursus eruendos extimulat.

Ex his autem facile est intelligere, non ideo hoc exercitium, dictum exercitium

memoriæ, quod ad hanc primam praxis meditandi partem sola memoria concurrat, sed quia cum manifesta esset ex parte potentiæ diuersitas inter affectus, ad voluntatem pertinentes, & discursum, ad intellectum, nec verò esset inter discursum & apprehensionem veritatis fidei, uterque enim actus ab intellectu proficiscitur, commodiorem non potuit Beatus Pater Ignatius assignare quam tribuendo nomen intellectus discursui, qui est proprius & perfectissimus intellectus actus, memoriæ verò, illi apprehensioni ad quam ipsa etiam memoria plurimum confert. Quamquam enim fieri possit ut quis illam fidei veri-

tatem notam antea habuerit, eamque habituali cognitione possideat, id tamen non est satis, vt ipsa sit efficax principium ad eliciendas per discursum practicas conclusiones, sed præterea necesse est vt eiusdem veritatis notitiã præsentem & actuaalem habeat, quod vt plurimum memoriam munus est: sicut enim in Theologicis & Philosophis parta pridem Principiorum cognitio ad promptam disputationem & expeditam ratiocinationem imbecillior est, atque adeo solet quilibet ad huiusmodi concertationes veterem memoriam accurata meditatione ac lectione re-
fricando, nota iam principia præsentem actu prompta ac pa-

rata ad formanda facilè argumenta & responſiones ſtatuerè: Ita ad expromendas ex veritate principiòq; fidei conſuſiones practicas, vel nihil, vel parum poteſt parta iam eiufdem principij cognitio, habitu ſolum mentem informans. Quare neceſſarium eſt vt homo ſe diſponat ſubminiſtratis per memoriam iis apprehenſionibus & rationibus, quas antè circa propoſitam veritatem exercuit. Quod adeò neceſſarium eſt, vt ferè ſemper & ipſum lumen practicum iudicij fidei, & tota quæ ex eo potiffimam pendet meditatio, languelcat, multis obnoxia impedimentis & illuſionibus, niſi per

26 DE ORATIONE

præuium memoriæ exerci-
tium viuæ aliquæ cogitatio-
nes, mysterij sensum & verita-
tem aperientes, in intellectum
aduocentur, saltem in iis qui
communi orandi modo &
humana ratione ducuntur.
Nam si quos Deus supra cõ-
munem cæterorum modum
euehit, abundantique fidei
ac sapiētia supernaturalis lu-
mine quandoque illustrat, ita
vt in eorum mentibus actua-
lem semper sui, rerumque æ-
ternarum notitiam & pariat,
& foueat, eos non existimo
præscripto hoc memoriæ e-
xercitio multum egere. Nam
statim ac illi fidei oculum in
propositam materiam inten-
derint, tunc repentino quo-

dam impetu, sine vlla difficultate, aut mora, penè etiam sine discursu, flammam concipiunt, practicè in Deum monentur, & quid sibi ad eius gloriam agendum sit, non intelligunt modò, sed firmiter constituunt. At quoniam hoc non ita ordinarium est, & ad contemplationem pertinet, nósque cum Beato Patre Nostro ordinariam meditationis praxim ac methodũ præscribimus, hoc memoriæ exercitium omnino requirimus ad actũ fidei, & primum istum gradum ac fundamentum meditationis; quæ tamè etiam ipsa ad contemplationem viam sternit, eo scilicet sensu, quia Deus plerumque

admirabili quodā nexu meditationi contemplationem adiungit, eosque qui se diligentissimè in præscripta meditationis via exercuerint, ad contemplationis quietem solet perducere.

Post hunc actum sequitur intellectus exercitium per ratiocinationem & discursum, deducendo scilicet ex præcedenti fidei actu & lumine practico, tanquam ex principio, conclusiones etiam practicas, ad morum & virtutis perfectionem accommodatas; quæ in eo tanquam in semine fructus, includuntur. Quare discursû et si iuuet plurimùm sapientia, aliâque dona intellectus naturalia, præcipuè

tamen efficit sapientia ac prudentia supernaturalis, cuius est ex fidei principiis elicere prædictas conclusiones practicas, quotidianis vitæ actionibus, materiam, finem, modum & absolutam rectitudinem præscribentes; hoc enim solum virtutum istarum lumen hominibus quæ verè bona, quæ mala; quæ optanda, aut timenda; quæ amanda, quæ fugienda sint; syncerè, ut in his humanæ vitæ tenebris necessarium est, ostendit: hoc solum viam virtutis in tantis erroribus aperit, & eum ritè, quem illustrat, docet quæ sui sint partes officij, quomodo se erga Deum, quomodo erga se, aliósque gerere de-

beat, quid de bonis huius vitæ, diuitiis, deliciis, honoribus, famâ, laude, æstimatione, quid de virtutibus, vitiisq̄ue, iisque in æternâ vitâ propositis poenis aut præmiis sentiendum sit. Quo fit vt nihil facilius sit intellectui hac sapientiæ luce perfuso, quàm ex principio fidei & lumine practico præsentē, practicas per discursum conclusiones elicere, & elicitas voluntati proponere; præsertim si accedat pius aliquis voluntatis affectus. erga Deum, eiúsque cultum. Hic enim mirum in modum iuuat discursum, intellectumque quodammodo impellit, vt ex præsentē fidei actu materiam sibi eruat, cir-

ea quam possit operari. Dici
 verò non potest quãtum pro-
 fit ad motus voluntatis hic
 discursus, & conclusionum
 practicasũ propositio: Nam
 cùm voluntas sit potentia ex
 se cæca, quò tendere, & quem
 tenere modum debeat, vt ri-
 tẽ Deũ colat & amet, suũm-
 que vt finem consequatur,
 ignorans, & intellectum du-
 cem sequens; hic cum face
 diuini luminis prolata viam
 commonstrat, Deique vo-
 luntatem ex fidei principiis
 per euidentissimum discursu-
 sum, & certissimam conclu-
 sionem proponit, ei statim se
 voluntas, pro naturali quam
 cum eo habet affinitate, adiũ-
 git; vix vt ipsa cõsensum ne-

gare possit; sed dulci quâdam iniecta vi, quamquam libera, eo se concitatissimè confert, quò eundem intellectus à Deo illustratus indicauerit.

Restat igitur vt post discursum & exercitium intellectus voluntas se per suos affectus circa conclusiones elicitas exercent, hic enim est finis præcedentium actuum, eòq; demùm tendit tota meditatio, quæ & suâ naturâ practica est, & ideò practica quia ad praxim refertur. Praxis verò est ipsa voluntatis operatio per affectus & motus.

Affectus porrò omnes qui ex meditationis discursu excitandi sunt in volūitate, Sanctus Bernardus comprehen-

dit deuotione & compūctio-
 ne; quanquā etiam ipsa com-
 punctio deuotio quædam est.
 Ratio huius distinctionis est,
 quia cū voluntas duobus
 in genere modis duntaxat o-
 peretur, prosecutione scili-
 cet & auersione circa bonū
 aut malum propositum: spe-
 ciatim etiam in genere mo-
 rum circa virtutis aut pecca-
 ti materiam, per deuotionē,
 ad bonum virtutis afficitur
 per amorem, per compun-
 ctionem verò à malo peccati
 refugit per odium.

Et compunctionē quidem
 certissimum est circa omnia
 peccata exerceri, vt ea dete-
 stetur, fugiat, metuat, præte-
 rita, præsentia, aut futura.

Nā cū intellectus per meditationem illustratus eorum damna voluntati proponit, tunc eorum sentit aculeos, & dolore veluti concepto compungitur, stimulatūque ad ea detestanda, & corrigenda, cauendāq; in posterum. Potest etiam compunctio ad alia mala poenæ & miseras siue communes, siue particulares, siue præteritas, siue futuras, vt mortem, iudicium, & peccati effectus pertinere. Quare dum ea omnia intellectus considerat & proponit voluntati, illam quodammodo pungit, & elationem, eiusque diffusionem ad amorem rerum terrenarum, salubri suæ miseriæ consideratio-

ne comprimit. Comprehendit ergo compunctio omnes illos voluntatis affectus, qui ad humilitatem, & poenitentiam, suique odium spectant, & ex cognitione sui oriuntur. Qui enim per meditationem bene apprehendit id quod est ex se, non potest non imprimis odisse se, & detestari, ut peccati causam, item voluntatem propriam, sensus, carnem, vitam etiam præteritam abominari: unde sequitur affectus mortificationis, quo nos ipsos ut tantorum malorum authores, & Dei hostes prosequimur, omnibus bonis renunciamus, voluntati propriæ frænum iniicimus, sensumque licentiam comprimimus.

Affectus autem deuotionis voluntatem excitat ad omne bonum virtutis quod ei proponitur complectēdum. Vnde his duobus veluti motibus deuotione & compunctione vita nostra spiritualis conseruatur, non secus atque compressione & dilatatione cordis & pulmonū vita corporis: & sicut compunctio oritur ex cognitione practica nostræ miseræ, & nos in nosmet cogit; ita deuotio ex practica etiam Dei cognitione dimanat, & in Deum eiusq; cultum, id est Dei laudem, gratiarum actionē, amorem, admirationē & similes actus cor nostrū dilatat. Nā deuotio, ut rectè S. Thomas ait, est

actus vel religionis, vel charitatis, quo perspecta Dei excellentia & bonitate propter quam perfectissimè ei seruiendum, & amandum eum esse iudicium practicum dicitur, voluntas afficitur erga omnia Dei bona, & omnem Dei cultum generaliter amplectitur, ei que totam se tradit & addicit, & multa etiam in particulari imperat proposita variarum virtutũ, vt actuum fidei, spei, charitatis, religionis, orandi, sæpè communicandi, operum misericordiæ, denique Christi Domini perfectæ imitationis, in cogitationibus, dictis, & factis; imò etiam odij sui & humilitatis: licet enim hi actus sint com-

punctionis, deuotio tamen ipsa compunctionem excitat, vt suos actus exerceat ad Dei gloriam, imò fit ordinariè vt intellectus ex eodem principio deducat cõclusiones practicas compunctionis & deuotionis, & voluntas ex eodem etiam capite primò dilatetur in Deum, eum admirando, laudando, gratias agendo, sperando, amando, proponendo ad eius gloriam hæc vel ista virtutum opera exercere, deinde sese deprimat & compungat, accusando se & imperfectiones, miseriasque suas exponendo coram Deo: nonnunquã etiam vtrumque motum ita commiscet, vt & sui odium simul

& Dei amorem, sui diffidentiam & cōfidentiam in Deo concipiat; itemque suas misérias, & cum iis Dei bonitatem admiretur, & ita de cæteris. Horum affectuum ex meditatione nascentium cōmixturem ita describit S.

Gregorius, *Electi dum sanctæ in Psal. contemplationis pennis ad cælestia contemplanda se erigunt, eò subtilius si quid in seipsis otiosum latebat inveniunt, quò ad diuine lucis claritatem vicinius accedunt, tantòque eis displicet quod infirmum ex carne tolerāt, quantò eos delectat quod ex incorruptibili vite suauitate degustant: unde fit quod graui in seipos vel pro otiosis verbis, vel pro vanis cogitationibus inue-*

etione deficiant, & quæ leuia ante crediderant, mox ut graua & mortifera perhorrescant. Verùm de deuotione eaque duplici iterum postea.

Cæterùm tota hæc meditando praxis & methodus exercendarum trium animæ potentiarum clariùs innotescet ex exemplo quod postea etiã proponemus cap. 15. vbi modum quo ipsum principium fidei apprehendere, & ex eo conclusiones deducere, ac demùm voluntatis affectus excitare quilibet possit, clarissimè ipsis oculis subiiciemus.

Ex iis quæ hoc capite dicta sunt obiter intelligi potest, quæ sit natura & vsus Repetitionum tam frequenter in E-

xercitiis à B. P. Ignatio commendatus. Cùm enim finis præcipuus meditationum sint affectus, & ex iis necessariò consequentes virtutum operationes, nihil que sit facilius quàm vt volùtas, siue ex innata sua libertate & inconstantia, siue ex obiectorum sese ingerentium turba, & partis inferioris ac sensuum leuitate ac rebellione, pios in meditatione conceptos affectus exuat, nisi illi altissimè defixi inhæreant, sapientissimè B. Pater meditationum Repetitiones excogitauit, in quibus scilicet, iam supposita ex præcedentibus meditationibus memoriæ & intellectus exercitatione actu satis & præsen-

ti suo influxu perseverante,
 leui prius impressi vestigio
 virtutum affectus crebra re-
 petitione non tantum confir-
 mentur, sed diuturnum etiam
 robur atque ad opus longè
 maiorem efficaciam acqui-
 rant. Quare hanc eius men-
 tem apertè fuisse constat, vt
 decursis leuiter per memo-
 riam & intellectum principio
 & conclusionibus tota volū-
 tas in affectus excitandos diu-
 turnius incumberet, quæ &
 causa est cur ordinariè repe-
 tionibus plura colloquia
 subiunxerit.

CAPVT XIII.

De colloquio.

INTER hos affectus solet anima ad deum quem nō solūm præsentem habet, sed in se etiam operantem sentit, & à quo audiri se experitur, suauiter sese conuertere, & cum eo de iis quæ in animo habet magna affectus suauitate & familiaritate colloqui. Vbi animaduertēdum est Meditationem circa fidei mysteria, quæ præcipuum sunt eius obiectum, tribus his modis versari posse, vel prout sunt opera Dei, sine ullo ad nos respectu & ordi-

144 DE ORATIONE
ne, vnde admiratio, laus aut
similis affectus exoritur; vel
prout sunt bona nobis colla-
ta, vnde gratiarum actio; vel
denique prout sunt bona no-
bis conferenda, vnde volun-
tas eorum desiderio inflāma-
ta, ad orationem seu petiti-
onem eorūdem bonorum pro-
uocatur. Atque circa hæc tria
affectuum genera anima per
meditationem excitata col-
loquiū ad Deum dirigit. Im-
primis enim postquam Me-
ditatio ex fidei mysteriis, vt
pote Dei operibus, velut ex
lumine solem, ex fructu ra-
dicē infinitas Dei perfectio-
nes sapientiam, iustitiam, mi-
sericordiam, cæterasque co-
gnouit, spirituali quodam
affectu

affectu cor incalescēs Deum laudat & exaltat, siue ob infinitas illas perfectiones quas in eo per intellectum & fidei lumen esse animaduertit, siue ob illa ipsa opera quibus suā Deus excellentiam, & admirabiles perfectiones extra se quodammodo effundit, easque tanquam suæ diuinitatis vestigia altè creatis rebus imprimit. Atque is affectus laudis, cū vehemens est sæpè prorumpit in admirationem earundem perfectionū, quas nouo modo mens concipit siue intensione, siue extensione immensas. Sæpè verò simplici laude non contenta anima secum ipsa colloquendo, & seipsam inuitando incitat,

vt magis Deum magnificat,
prædicet, & admiretur, &
nonnunquam alias creaturas
in auxilium veluti aduocet,
vt quod videt non posse se so-
lam sufficienter præstare, om-
nium creaturarum ope im-
pleat. Denique etiam Dei a-
mor solet ex illo laudis affe-
ctu tunc vehementer exarde-
scere; imò hic ipse affectus
Deum laudandi, licet pro-
priè sit actus religionis, ta-
men à Dei amore ordinariè
prouenit, quo gaudet anima
tanta hæc bona possidere De-
um, & desiderat noua adhuc
si fieri posset Deo bona ad-
iungere, quod quia videt se
non posse præstare in internis
Dei bonis vtpote qui bono-

rum suorum non eget, quia est Deus & non mutatur, ad externa Deo bona adiungenda efficaciter mouetur, in quibus hoc primum est, ut Deum in seipsa propter internas perfectiones magnificet, suspiciat, admiretur, extolâtq; quantū potest, & cupiat ab omnibus creaturis omnibus efferri laudibus, omni commendatione celebrari. Ita enim quodam modo eas ipsas perfectiones extra Deū effusas in eundem suum autorem grata & liberali voluntate refundit. Et ita sanè intelligendum est quod cum summo amoris affectu, abiectis ad Agni pedes coronis seniores in Apocalypsi profi-

cap. 5.

tentur, *Dignus est agnus accipere fortitudinem, & diuinitatem, & gloriam, & honorem, &c.* Vnde etiam patet affectum amoris Dei communiter procreare affectum eum laudandi.

Secundus affectus est actio gratiarum, dum enim consideramus hæc eadem Dei opera, prout sunt magna quædam bona nobis collata, excitatur voluntas, vt de iis gratias Deo rependat. Et hoc quidem duobus modis præstare possumus. Imprimis enim si Dei dona consideremus, quatenus sunt bona quædam nostra, nõsque admodum exornantia, seu naturali, seu supernaturali ali-

qua perfectione, tunc ex amore concupiscentiæ & proprij nostri boni intuitu excitamur ad actionem gratiarum, vnde tamen exoriri verus Dei amor potest, quando scilicet perpendimus quàm liberaliter, & quanto cum amore nobis continuò Deus sine beneficentiæ thesauros laxet. Hinc enim prouocamur vt & magnificiamus beneficia accepta, & eum vt eorum fontem agnoscamus, & verò vt exardescamus simili amore, quò fit vt etiam nos, nostraq; omnia ad illustrandam eius gloriam offeramus, & sempiternum eius in obsequium mancipemus. Solliciti ne quid gloriæ nobis reti-

MO DE ORATIONE

neamus, aut tribuamus ex iisdem Dei donis, ne ei iniurij aut ingrati simus, obsequium ei purum sine vllō, ad nostra commoda respectu tantūm ex eius amore deferētes, quilibet pro eo pati parati quem erga nos adeo liberalem & beneficū experimur. Deinde verò si consideremus eadem dona Dei quatenus continent in se extrinsecum Dei bonum, nimirūm Dei gloriā, ad quam vt ad finem cætera omnia tanquā media referre nos decet, tunc perfectior est quæ inde exurgit gratiarum actio: procedit enim ex vero Dei amore, quo succensa, Deo canit Ecclesia, *Gratias agimus tibi propter magnam*

gloriam tuam. Sic enim post-
 posito quolibet respectu pro-
 prij boni nostri vni Dei glo-
 riæ per gratiarum actionem
 cuncta in illum eius operare-
 ferimus, & omnia bona no-
 stra à nobis ad eum traduci-
 mus, vt eius gloriæ cedant &
 seruiant, tanti solummodò
 facientes bona nostra etiam
 supernaturalia, quantum illis
 diuini honoris & gloriæ ad-
 iungitur. Veri enim amoris
 Dei hoc certissimũ indicium
 est, si eius gloriam vt maxi-
 mum bonum nostrum aliis
 omnibus præferendum duci-
 mus; scilicet ob illam nostræ
 voluntatis cum Deo vnio-
 nem, & eius gloriæ amorem
 ac gaudium tantum, vt non

in nobis ipsi ampliùs uiuamus, sed Deus in nobis & nos in eo, maiorémque de illius bono, quàm nostram voluptatem ac lætitiám percipiamus; Ita enim & animum ei gratiorem præstamus & offerimus nos ipsos, vt magis ac magis eius maiestas immensa, iustitia, bonitas, sapientia, & potentia illucescant.

Tertius denique affectus qui in colloquiis excitari solet est oratio, nam quando prædicta Dei dona, nondum nobis collata sunt, sed eorum solum desiderium per meditationem excitatum est, in colloquio ipso ad orandum prouocamur: oratio quippe nihil est aliud quàm explica-

tio desiderij facta Deo ad aliquid impetrandum. Cùm enim videt anima, sibi multa deesse, quæ à Deo solo expectanda sunt, nec verò posse se ad suum imperium aut arbitrium Dei summam maiestatem impellere ad dandũ id quo indiget, tũc eum vt inferior adit, ei se subiicit, ab eo pendere se, suaque omnia & agnoscit, & profitetur, exponitque suam egestatem ac desiderium, vt eum permoueat ad concedendum quod postulat.

Hinc porro patet orationẽ eo efficaciorẽ esse, quo concurrunt efficacius hæc tria; nempe desiderium consequendi illud ipsum bonum quod

154 DE ORATIONE
postulas, cognitio indigentie,
impotentieque tue, & hu-
milis subiectio voluntatis sese
prorsus à Deo pendere profi-
tentis, & in eius sola bonita-
te confidentis. Confidentia
autem ista his duobus valde
iuuatur. Primò beneficiorum
iam acceptorum & infinitæ
Dei bonitatis commemora-
tione, quæ solet fieri, prout
affectus suggerit, aliquando
simpliciter, nonnunquam per
obsecrationes quibus eum ad
nostram opem, & subleuan-
dam miseriam obtestamur,
vel per ipsas eius perfectiones
intrinsecas, infinitam boni-
tatem, iustitiam, fidelitatem
& misericordiam, vel per ea
officia, quibus nos ipse sibi

deuinxit, personam induens
 parentis, tutoris, Regis &c.
 vel per ipsum Christum eius-
 que merita, passionem, san-
 guinem, mortem: item per
 Beatam Virginem & alios
 sanctos vt nobis id tribuat,
 quod petimus, vel quo melius
 intelligit tantoperè nos indi-
 gere. Hæc enim cùm Deo
 obiicimus, non potest sanè
 voluntas tot titulis in mediũ
 propositis nõ excitari ad ma-
 gnam spem & fiduciam eius
 rei quam petit impetrandæ.
 Secundò eadem confidentia,
 iuuatur valdè puritate anime,
 nullius sibi consciæ peccati,
 Deum diligentis, & nihil
 aliud in eo quod petit, quàm
 vnicam eius gloriam quæ-

rentis, summam eius bonitatem sibi præsentem, per intimam vnionem modo quodam ineffabili sentientis, & quasi iam paradisi delicias experientis. Hinc enim sæpè fit vt ei sit satis suum desiderium Deo aperire & veluti mentem insinuare, nulla expressa factâ petitione, quomodo, fratris valetudinem duæ sorores Christo significarunt. Ecce quem amas infirmatur. Atque hæc certitudo & fiducia tanta quandoque est, vt anima ipsa sentiat veluti in se Dei bonitatem exaudientem & dicentem sibi: *Salus tua ego sum: adeo vt non dubitet se quod optabat impetrasse, siue illud sic*

peccatorum remissio, siue gratiæ auxilium ad noua cauenda, aut virtutes acquirendas, siue perfecta Christi imitatio, siue aliud simile. Sæpe etiam ita certa est se voti compotem esse factam vt iã non amplius de petendi studio sit sollicita vel anxia, sed quasi iam impetrato orationis præmio diuinæ bonitatis cumulata largitate, in Dei laudes & gratiarum actionẽ prorumpat.

CAPVT XV.

*Exemplum ad modum illum
meditandi clarius decla-
randum.*

AT QVE vt illa praxis
superiùs à nobis de-
scripta clariùs in exē-
plo, vt in speculo cernatur;
omissa oratione præparatoria
& præludiis, quæ faciliè ex
dictis cuilibet perspecta esse
possunt, in aliquo puncto
meditationum vitæ Christi
Domini exemplum statua-
mus.

Sit igitur ad meditandum
proposita vita Christi priua-
ta, quam inter domesticos

parietes ignotus hominibus,
 atque in vmbra paternæ do-
 mus ad trigesimum vsque æ-
 tatis annum obscurus egit.
 Sitq; exempli causa, primum
 illius meditationis punctum,
 Dominum Iesum suis paren-
 tibus mea causa subditum
 fuisse.

Primò circa hoc punctum
 per exercitium memoriæ, eni-
 tar cognitionem, quam ha-
 bitualem habeo, de dignitate
 Saluatoris nostri renouare,
 eamque in me viuo aliquo
 attentæ considerationis actu
 præsentem facere, similiter
 apprehendam diligenter, quæ
 sit paupertas & abiecta fors
 parentum eius: item penetra-
 bo quid sit esse subditum al-

teri; quomodo Christus Dominus se in omnibus subdidit parentibus opere, dictis, cogitatis; quo item affectu interno & externa etiam reuerentia, quâ mentis demissione, quo spectato fine, quàm diuturno tēpore, quam denique mei memoriam & meæ salutis ac perfectionis intentionem habuerit, quàm poterō diligentissimè considerabo. His ita cognitione actuali representatis, & firmiter apprehensis, sequitur ut circa eadem eliciam actum fidei, vel simplicem, vel coniunctum huic aut simili affectui. O mi Saluator dulcissime Iesu ita profectò se res habet, & firmiter credo te, qui

Rex regum es, & Dominus
 dominantium induisse for-
 mam serui, & seruorum mini-
 steriis operam nauassetuam;
 te qui tonas in caelo & impe-
 ras Angelis, exercituū Deus,
 pauperis fabri & humilis mu-
 lieris imperiis obsequutum
 esse. Sic placitum est oculis
 tuis, sic fecisti voluntatem pa-
 tris tui, & ei bene complacui-
 sti, sic fatisfecisti peccato su-
 perbiae & inobedientiae meae,
 sic mihi humilitatis, obedi-
 entiae, perfectionisque omnis e-
 xemplum praeclearissimū con-
 stituisti, id mihi tu in tuis scri-
 pturis tuā bonitate reuelasti,
 tuis verbis habeo fidem, tuae
 authoritati mentem subiicio,
 nec fallere me tua bonitas,

nec verò falli tua sapientia potest, in ea fide viuere me & mori velle vt tibi placeam, vt tuum honorem & gloriam promoueam fixum mihi & omnino constitutum est. *Cre- do Domine, sed tu adiuua incredulitatem meam, Domine adauge in nobis fidem, fac vt opere fidem compleam, atque vt nunquam ob mea peccata, aut tuis verbis fides, aut fidei bona voluntas, aut voluntati bonæ, fructus bonorum operum desint.* Atque hæc de exercitio memoriæ eiúsque exemplo circa totum materiæ ad meditandum propositæ punctum, & singulas seorsim partes. Iam intellectus & voluntatis exemplum sub-

tingendum est.

Sic igitur discursum ag-
 grediar, & conclusiones pra-
 cticas ex fidei principio edu-
 cam, quatenus in eo confide-
 ro huius erga me, Dei aut
 Christi, beneficij magnitudi-
 nem, ita me imprimis com-
 pellando & excitando, vt a-
 ctum fidei renouem: credis
 hoc? credis hominibus Deū
 tuā causā subditum fuisse?
 Credo vtique. Si ergo ita est,
 si id Credis, quid tibi facto est
 opus, qualis esse & quomo-
 do affectus erga tam illustrē
 benefactorem debes? Ingra-
 tum te esse non oportet, nec
 immemorem tanti beneficij,
 sed memorem ac gratum, nec
 beneficium custodire solūm

164 DE ORATIONE
intellectu, sed etiam volun-
tate & operibus proficere, ma-
gni illud faciendo, laudibus
effere, & admirando the-
sauros sapientiae & bonitatis
illius, qui tantum tibi donum
impertit, gratias agendo to-
tis viribus, & te tanto benefi-
cio summè indignum, sum-
mè pariter Deo & Christo
obligatum profiteri, in cu-
ius obligationis quantulam-
cumque satisfactionem, ma-
gnam præ te feres confusio-
nem & pudorem, quod &
impar tanti debiti solutioni
sis, & tuæ etiam quantæcū-
que potestati tam negligenter
responderis, ac demum
spe melioris vitæ, & proposi-
tis conceptis totum te in præ-

sens, & tua omnia diuinæ maiestati trades. Nam principium hoc in beneficij collati consideratione positum, non tantum est regula præsentium & futurorum nostrorum actuum, sed etiam iudicium & condemnatio præteritorum, adeo ut ex illo possim & debeam elicere conclusiones practicas, gratiarum scilicet actionis, pro præsentis beneficij commemoratione, pro præterita ingratitude, confessionis, pro futurâ gratitudine, desiderij & propositi emendationis, præscriptis etiam in particulari actibus & circumstantiis, quibus me aliquo modo, Deo satisfaciendo, obligatione tanti be-

neficij exoluam. Quod itidem in alijs principijs & conclusionibus debet pari modo obseruari.

Expressis igitur ex consideratione magnitudinis beneficij, his conclusionibus gratitudinis, actionis gratiarū, &c. & volūtati efficaciter propositis statim ipsa earundē virtutum affectus in se excitabit, & in actus earum statim prorūpet, vel simpliciter eos exercendo, vel plerumq; cum feruenti colloquio & humili erga Deum, aut Christum reuerentiâ, in hunc aut similem proloquendo. Gratias tibi ago Domine Deus meus, quod mihi tam humilē tamque obsequentem vnicum fi-

lium tuum dederis. Gratias
 tibi ago ô benignissime Sal-
 uator, de hac tuâ idque meâ
 causâ, tam eximia subie-
 ctione. En vicissim me in om-
 nes voluntates tuas exequen-
 das offerro paratum. Vel cum
 admiratione! ô abyssus & sa-
 pientiæ Dei profunditas! ô
 amoris melliflui dulcedo! ô
 infinite bonitatis magnitudo!
 ô exinanitio! ô annihilatio
 Dei mei, pro tam vili & in-
 dignâ creaturâ. Habeo tibi
 gratias humillime I E S U, in-
 cide & imprime cordi meo
 bonitatis tam ingentis me-
 moriam sempiternam, nulla
 vnquam dignationem hanc
 delet obliuio. Si verò con-
 tingerit voluntatem esse frigi-

dam & torpentem, sic erit
 inflammanda & impellenda:
 Ô anima mea si intelligis vt
 facis, quid sit Deum tui gra-
 tia se exinaniuisse, quid præ-
 stare debes vt tanto beneficio
 respondere possis, quid æqui-
 parare potes tam insoli-
 tæ benignitati; quâ laude,
 quibus gratiis, quantis bene-
 dictionibus tam magnificum
 Dominum celebrabis? *Bene-
 dic anima mea Domino, & om-
 nia que intra me sunt confite-
 mini memoria miserationum e-
 ius.* Immiscenda quoque est
 in illa gratiarum actione cõ-
 fessio ingrati & immemoris
 animi nostri, confusio indi-
 gnitatis nostræ cum veniæ
 deprecatione, & emendatio-
 nis

proposito Dei adspirante gratiâ , quæ tandiu erit imploranda , quandiu benè affecta voluntas in calore suo perdurabit. Neque vero interrumpi debet feruor ille in similibus colloquiis, sed extendi potius, donec suaviter affectus suâ sponte remittatur : tunc enim iam in ea parte materiæ conquiescente animâ, ad aliam principij partem, & conclusionem practicam intellectus & affectus traducendus erit.

Iterum ergo resummi principium debet, ex eoque altera quædam conclusio practica, & amoris affectus sunt excitandi, vt iam dictum est, hunc ferè in modum, si me Deus

ita dilexit, si tantus erga me Christi Domini amor; quid mihi quoque faciendum est? Profectò rationi maximè cōsentaneū est, vt Deum meum, & Christum Dominum toto mentis, animique conature damem, cūm vterq; me tanto amore complexus fuerit: Et hanc quidem amandi Deum voluntatem meam non exiguo quodā & remisso desiderio circūscribere, sed quàm ego latissimè potero, verbis & cogitationibus ad opera quęlibet extendere debeo. Nam si in eo vis elucet amoris, vt quem diligis, non affectu solum diligas, sed ad eius gloriam procurandam, bonūque promouendum, etiam a-

nimū, totā linguam, & manū
 admouēas; quantò magis par
 est hoc me erga Deum facere,
 qui mihi viscera dilectionis
 suæ, multitudine beneficio-
 rum prope infinitā denuda-
 uit? Quid faciam, aut quid
 respondebo ei, qui tanta mi-
 hi fecit? Numquid imposte-
 rum gloriæ eius in omnibus
 seruiam? & cū ipse se tot
 annorum spatio mei gratia
 ignotum, & contemptibilem
 exhibuerit, quantum in me
 erit, num conabor efficere, in
 his & illis occasionibus, vt per
 me illustris, amabilis, & apud
 omnes honorabilis habeatur?
 vt omnium, si fieri potest, ho-
 minum mentes æstimatione,
 corda amore compleat, vt

in omnium ore, atque etiam oculis, summâ cum laude ac voluptate habitet? Confusio autem de negligentia nostrâ huic actui erit inferenda, tum colloquium subiungendum, prout affectus suggeret. Faxis ô bone Iesu te vt amem, vt clarificem, te vt cognoscant mortalium singuli, diligant vniuersi! ô, quis mihi dabit vires, vt id præstẽ? quis pedes ceruorum, vt curram? quis pennas aquilæ, vt volem, & annuntiem toti mûdo bonitatem Domini mei? Quis non ardeat amore tam boni, tam suavis, tam ardentis amatoris? &c. Væ mihi Domine qui vsque adhuc ad tantum ardorem sic intepui, qui nũ-

quam velleuiter incalui, plura vtinam pro te fecissem, certè in posterum faciam &c.

Hoc efferuescentis animi motu, & præ amoris ardore extra se quodammodo exundantis, paulatim in tepescēte, iterum resumendum principium meditationis, & si qua ex eo conclusio practica elicienda restat, educenda; qualis vt plurimum hæc esse solet.

Christus Dominus hoc mihi exēplum humilitatis, paupertatis, obedientię &c. vt eū imitarer, reliquit. Ego igitur illū imitari debeo. Præcessit enim ipse prior, vt sequamur vestigia eius. Hunc enim veluti faunam sæpè sæpius exugens anima, nouis semper deliciis

intellectus & voluntatis appetentia perfundetur, & in hac potissimū obedientiæ Christi materia, proposito sibi tam efficaci & diuino exemplo, mirā affectuum varietate simul & rationum soliditate satiabitur: ita enim secū intellectus colloquendo voluntatē excitabit, si se Dominus, cuius est terra & plenitudo eius, pauperculæ mulieri, si se cæli terrarūque conditor humili fabro, subdidit, quāquæso subditum, quā obedientem esse conuenit seruū domino, Authori creaturam; hominem Deo? ô vermis, ô cinis, ô lutum, quomodo tu te extollis vbi se Deus maiestatis exinaniuit? erubescere,

confundere, qui diuinis imperiis obedientiam detrectas, sæpe facilem & exigui temporis; cùm se Deustuâ causâ in rebus omnibus, & per triginta annos, omnibus parentum volûtatibus, & obsequiis manciparit, itane Christum præcuntem sequi refugis, Dominum, Regem, Imperatorem, serue nequam, subdito inobediens, miles ignauus.

Trabe me post te, & curremus in Cant. i.
odorem unguentorum tuorum.

Et ita in aliis pro affectu animi & ardore voluntatis.

Vbi notandum est fructum huius imitationis, in eo potissimum consistere, si diligenter inspectis Christi actionibus, secundum materiam, si-

nem, intentionem, cæterâsque circumstantias & modos in particulari, statuamûsque similes nostras actiones definitis circumstantiis loci, temporis, & cæteris particularibus, iisdem, quibus suas Christus actiones, conditionibus & forma vestire. Iuuat etiam plurimum si hæc imitandi Christi voluntas, coniuncta sit cum confusione negligentia, diffidentiaque nostri, nec inutile foret aliquam imperfectionum nostrarum epitomen instituire, quas cum perfectionibus Christi Domini, quæ hîc nobis proponuntur ad imitandum, conferamus; vnde purius, clarius, & certius iudicium exo-

rietur. Hoc quidem fieri poterit, modò ratiocinatione simplici, modò nostri ipforũ interpellatione, alias intercedentibus personis Sanctissimę Trinitatis, alias Deiparę Matris, & Sanctorum aliorũ, modò tepiditatem nostram ingemiscendo, modò superbiã libertatẽque nostram effreni condemnando, à Deo demum gratiam imitationis implorando: longẽ verò vtilissima est hæc ratio Christum imitandi, & ad materiã orationis extendendam, latus non modò campus, quo noster intellectus ratiocinando decurrat, sed & affectuum voluntatis, & omnis generis virtutum feracissimus. Quæ

libet enim virtus assumi in meditatione potest, & circa eam primò considerari, quæ admodum à Christo Domino factis fuit expressa. Secundo quomodo & quo in gradu illa sit eadem in nobis. Tertiò pudore negligentiae debet animus suffundi. Quarto desiderium excitari ad eius consequutionem. Quintò media ad eam consequendam, quomodo, quando, & ubi poteris efficacissima adhibere, prouidere potes. Verùm enim uero aliquando fit ut in meditatione non actio aliqua Christi, sed documentum perpendendū sit, id cum eueniet, persona veluti discipuli assumenda tibi, & induenda

erit, qui secus pedes Domini
 & magistri tui sedens, auscul-
 tes documenta, quæ tradit:
 statuens eius obsequi volun-
 tati, & eam quam docet vir-
 tutem, & perfectionis mo-
 dum, ac normam, omni ani-
 mi constantiâ ac firmitate te-
 nere. Quod non adeo diffici-
 li negotio consequeris. Pri-
 mò benè intelligendo & pe-
 netrando doctrinam eius. Se-
 cundò videndo in eo doctri-
 næ expressum exemplum;
 Tertiò examinando quàm in
 eius virtutis exercitatione re-
 missus fueris, & tuam accu-
 sando socordiam. Quartò
 proponēdo praxim illius vir-
 tutis, & de eius comparan-
 dæ mediis Christum docto-

rem ac magistrum consulendo.

Triplicis iam generis & rationis conclusiones & affectus, gratiarum actionis, amoris, & imitationis ex nostro principio elicuimus, possunt & alia multæ ex eodem fonte in nostram utilitatem & perfectionem deriuari. Interque cæteras, hæc duo præcipua virtutum cæterarum, vel acquirendarum instrumenta, vel acquisitearum præsidia, fiducia nimirum diuinæ bonitatis, iuncta nostræ infirmitatis diffidentiâ; & ad diuinam voluntatem perfectâ rebus in omnibus nostræ compositio, & resignatio.

Atque in primis quidem

enascitur nostri diffidentia, ex
 nostræ cum fragilitatis & in-
 constantiæ, tum virium in-
 geniti amoris proprij, passio-
 numque tam multarum & tam
 potentium animaduersione.
 At in Deo confidentia sub-
 oritur, ex eo quod Dominus
 noster singulas, saltem præ-
 cipuas, vitæ suæ actiones, &
 opera quæ meditator sic exer-
 cuerit, vt eas Deo Patri suo
 offerendo formale & actualē
 de me cogitationē & intētio-
 nē habuerit, suis vt meritis, &
 actionū pretio, gratiam mihi
 bonæ præsentis cogitationis,
 pij motus, & omnis alterius
 boni, initium progressum &
 finem impetraret, in agnitio-
 nem bonitatis, iustitiæ, &

182 DE ORATIONE
sapientiæ Dei. Vnde nasco-
retur laus, benedictio, gra-
tiarum actio, amor item &
imitatio, & omne genus vir-
tutum effloresceret. Innixus
itaq; huic principio in animũ
inducam meum, nihil mihi
futurum aut accessu difficile,
aut perpeſſu asperum, in eo
qui me confortat & cumula-
tis actibus gratiarum, amo-
ris, imitationis, colloquio
ad Christum habito, renoua-
bo emendationis vehemens
desiderium. Fateor Domine
& erubescō, quod cùm tam
multas hactenũs in tanti my-
sterij consideratione mihi
suppeditaueris, cognoscendi
te, laudandi, magnificandi,
amandi occasiones, & dile-

ctionis, tuæque imitationis
 intuitu, tam sollicitè & forti-
 ter ad te perfectè sequèdum
 impuleris, ingratus tamen,
 immemor, & frigidus fuerim,
 totùsque in amore tuo lan-
 guerim, imperfectionibus tuè
 perfectioni inuisus sordue-
 rim, & ideò qui orbarer gra-
 tiis tuis, & à cōspectu tuo de-
 iicerer, bonisque omnibus
 spoliarer, condignè prome-
 ruerim. Verū Domine Deus
 cū iam clarùs intelligam
 gratiæ & misericordiæ tuæ
 profusam in me largitatem,
 ac in me erigendo potentiã,
 toto corde ad emendationem
 suspiro, & confusus meritis
 tuis, solitãq; tua benignitate
 animatus, totis viribus effla-

gito per charitatis tuæ exundantia flumina, & per humilitatis hoc opus, quod in mei gratiam Deo Patri obtulisti, ut quemadmodum ceruus ad fontes aquarum, ita anima mea siti vitæ perfectioris ardentissima ad te desideret, Deus meus, & gratiæ tuæ benignitate recreetur.

Iam verò quod pertinet ad integram nostræ voluntatis cum diuinâ conformitatem, etsi Deus soleat impellere voluntates nostras ad animosæ imitationis suæ desideria, & virtutum acquirendarū proposita: tamen, quantum ad illorum propositorū executionem pertinet, negotiū totum diuinæ maiestati, depo-

fitâ omni sollicitudine, imò
 abnegata omni nostra volun-
 tate, quando scilicet & quo-
 modo id futurum sit, permit-
 tendum est. Vnde conuenit
 actibus superioribus hunc re-
 signationis actum subtexere,
 quo testemur nihil nos aliud
 in his etiam nostris bonis, vir-
 tutibus, & perfectionis desi-
 deriis, quàm maioris gloriæ
 ipsius augmentum quærere.
 Quod vt fiat breuine, an lon-
 go studio, expectatione, aut
 exercitatione, nihil nostra in-
 teresse, in eius manibus posi-
 tas nostras sortes, prout ipsi
 libuerit, ita de nobis consti-
 tuat; precari nihilominùs for-
 tem & generosam in talibus
 animæ propositis constantiâ

debet. Acceptissimus est hic actus Deo, & ab eo vis omnis & robur in reliquos dimanat.

Restat ut perlustrato ac finito hac aut simili methodo meditationis primo puncto, secundū similiter aggrediamur, nisi in primo aliquarum personarum cōsideratio, quæ ad imitationem aut alium affectum faciat, intellectum subeat: tunc enim in ea immorandum esset, qualis exempli causa foret consideratio Beatissimæ Virginis, sancti Iosephi, aut aliorum: quamquam illa personarum consideratio pro altero meditationis puncto desumi posset.

CAPVT XVI.

*Rationes qua hunc meditandi
modum persuadent.*

AT QVÆ hęc meditan-
di ratio ab antiquis
Patribus & piis au-
thoribus, obscure licet, tradi-
ta tamen est. Inter quos Bea-
tus Augustinus, *Quãtò magis*, in med.
inquit, *homo sua mala intelli-
git tantò amplius sua mala suspi-
rat & gemit, meditatio siqui-
dem, parit scientiam, scientia
compunçãoem, compunção de-
uotioem, deuotio commendat
orationem.* Nec enim alia de
causa meditatio parit sciẽtã,
quàm quia aliud nihil est nisi

188. DE ORATIONE
discursus, quo ex solido fidei
principio per ratiocinationē
conclusio practica deducitur,
qua excitati compunctionis
& deuotionis affectus in ora-
tionem, siue colloquium, erū-
punt. Nec alio etiam sen-
su D. Gregorius meditatio-
nem studium appellat, quo
pij in Deum affectus excitan-
tur. *Stude queso*, inquit, &
*quotidie Creatoris tui verba me-
ditare, disce cor Dei in verbis
Dei, ut ad aeterna suspires, ut
mens tua ad caelestia gaudia
maioribus desiderijs accendatur.*
Et Bernardus, *Considerationē,*
*ait diuinarum humanarūque
rerum scientiam conferre, men-
tem purificare, regere affectus,
dirigere actus, corrigere excessus,*

in Mo-
tal.

de con-
fid.

componere mores, vitam honestare & ordinare. Quæ omnia à B. P. Ignatio exposita clariùs, & deducta in usum, hanc meditandi methodum præ cæteris omnibus commendant, cùm sit omnium præstantissima, facillima & utilissima.

Nam primò quidem maximè consentanea est hominis naturæ, quæ cùm intellectualis sit, ratione uti in omnibus & discursu debet, & rationum pondere voluntatem permouere, sicque se ad suas operationes applicare. Inde enim omnis in humanis moribus error contingit, quia pauci ratione ducuntur, sed pro appetitus inferioris im-

petu voluntatem in quælibet bona, etiam contra rationem ipsam, flectunt & distorquēt. Hæc est vera hominis scientia, scientia potius Sanctorū, quam sapiens prudentiā esse ait, qua qui carent, nihil mirū si captiui à passionibus ducantur, & in actionibus plerumq; à suo fine procul aberrent, quod etiam periculum plerūmq; imminet iis, qui vitam spiritualem profitentur, cū enim hanc viam non ineunt, frequentes illusiones patiuntur, & plerūmq; cū suo sensu, gustūque ducuntur, à Deo se duci putant, quo fit vt superbi, pertinaces, aliorūque contemptores existant.

Deinde vera meditatio non potest aliâ methodo fieri, cum enim naturâ sua sit discursus practicus, planè necessarium est, vt & principium aliquod habeat, & ex eo conclusiones, exque practicae, ad voluntatẽ permouendam deducantur. Principium autem hoc aliud non potest esse quã aliqua fidei veritas, vt pote quæ sit principium, & causa actuum supernaturalium, unde non solum speculatiua esse debet, sed practica: & quia fidei omne principium extrinsecâ reuelatione & dicẽtis authoritate nititur, ex suâque natura obscurum est, perpendi illud diligenter necesse est, vt concipi animo & penetrari

queat, neq; id quatenus principium est speculatiuæ alicuius conclusionis, sed practicę. Quare in eo expendendo habenda est potissimum ratio eorum quæ ad praxim impellere possint, qualia sunt in historiæ meditatione personæ, verba, opera, cogitationes & affectus. Vnde cum valde difficile sit fidei principia vt speculatiua sunt, penetrare, nihil tamen facilius est, quàm eadem vt practica sunt animo concipere & apprehendere. Qua de causa etiam ij, qui in rebus Theologicis rudes omninò sunt, optimè meditari interdum solent, imò quandoque meliùs quàm magni Theologi. Nam hi plerumque

que speculationi inhærent, & intellectum duntaxat replēt, illi verò ad ipsam in principiis latentem praxim solùm attendunt, & in affectus eorum vi concitandos toti incumbunt.

Præterea ex hac methodo potissimùm pendet vera & substantialis deuotio, & solida voluntatis ad omne bonum honestum complectendum, perfectumque virtutū exercitium suspiciendum proposita. Nam inde potissimū fieri consuevit, vt plerique, licet orationi dediti, parum tamen solidi in virtutum cultu euadant, quia non tam rationum momentis permouere voluntatē conantur, quàm

sensibili consolationis dulcedine delinire cupiunt, quæ cum ab appetitu inferiori & corporis dispositione dependeat, nihil eâ esse inconstantius potest. Vnde eorum deuotio, animi recollectio, obedientiæ, paupertatis, silentij studium durat, quandiu solùm sensus ille consolationis & gustus spiritualis perseuerat; at ubi euanescit, tam uiuæ & importunæ manent passiones, quàm prius: imò aliquando eò maiores, quò propter id genus consolationum insolescunt magis, & sui æstimatione inflati seipsum minus agnoscunt. Contrà verò cum diuinæ sese veritates eodem modo semper habeant,

vbi semel menti inhæserunt, quamcumque in partem sese appetitus inferior flectat, quocumque modo se externa obiecta habeant, voluntatem semper eodem modo afficiunt, & eadem vi impellunt. Quo fit, vt etsi in virtutum cultu nullâ planè delectatione afficiantur, qui rectam hanc meditandi methodum ineunt, tamen rationum pondere in id quod honestum est perpetuo tenore rapiantur. Certè ideo etiam contingit potissimùm plerisque in meditando facilitatē magnam habere, in vitæ tamē praxi valdè imperfectos, & multis peccatis obnoxios: alios contra perpetuâ in orâ-

do ariditate torqueri, in quotidianis tamē virtutum actionibus ita strenuos, ut vix quidquam admittant, quod reprehensione dignum sit: hi enim non cæco impetu, nec solo affectu ducuntur, sed ratione & discursu, illi autem affectu quidem bono, sed non in solidâ suâ basi fundato, neque ex verâ sua radice & natiuo fonte prodeunte.

l. 33.

Moral.

c. 22.

Hi, inquit S. Gregor. fletus in prece percipiunt, sed cū post orationis tempus eorum mentem superbi pulsauerit, illico in fastu elationis intumescunt, cū avaritia instigat, mox per incendia auide cogitationis exaestuant.

Accedit quod in medita-

tione, quæ religiosus discursus esse debet, & ad charitatem quæ ædificat, non scientiam quæ inflat, ordinatus, potissimum habenda sit ratio affectus: in hac autem methodo tale est præfatum memoriae & intellectus exercitium, ut suâ veluti sponte ad voluntatem perurgendam procumbat: memoria enim id solum ante oculos ponit, quod ad illum finem valet, intellectus verò discursus, si ut præscribitur fiat, nullam curiositatem, nullam varietatem admittit, sed nudam duntaxat & simplicem ex principio benè apprehenso illationem, & ad singulares vitæ nostræ actiones in particulari benè

formandas applicationem.

Qua in re magna certè est tum vtilitas, tum facilitas: vtilitas quidem, quia cùm diuinæ veritatis principium sit infallibilis actionum nostrarum regula, nihil ita iuuare nos potest ad vitam nostram ex Dei voluntate & Christi imitatione formãdam, quàm cùm illam regulam, vel ad præteritas actiones diiudicandas, vel ad futuras, eo præsertim die, componendas, adiungimus, in hac enim methodo, non in eo sistit discursus, vt affectum voluntatis erga virtutem aliquam verbi gratia humilitatem, paupertatem, mortificationem, puritatem intentionis, confor-

mitatem cum Dei voluntate, permoueat: id enim parui esset momenti, sed præterea ad particulares vitæ, illius potissimum diei, actiones descendit, & admonet quomodo in hac vel illa occasione, cum hoc vel illud ages, te superare, quàm in eo negotio humilitatem, pacem, conformitatem cum Dei voluntate exercere debeas. Qua etiam in re apparet magna facilitas, cuius enim sunt noti sui mores, nemo est, qui non quid antè egerit, quid deinde acturus sit, suo modo cogitare possit, ac proinde benè apprehensi principij regulam singulis vitæ suæ actionibus, prout materia feret, admouere.

Deniq; qui hoc modo procedunt, optimè sese disponunt, vt si voluerit Dominus in contemplatione spiritu illos sapientiæ repleat, nam fieri non potest quin in vera animi puritate, & mortificatione, virtutibúsq; omnibus, vt suprà dicebamus, proficiant: præsertim cùm iste modus suapte sponte ad contemplationem præparet, consistit enim cõtemplatio in simplici intuitu veritatis diuinæ, quæ discursus meditationis principium est. Itaque facile fieri potest, cùm diuinæ bonitati ita placet, vt in ipso memoriæ exercitio suspēsa mēs, Deum & diuinas veritates, insolito quodam lumine per-

fusa, quodammodo intueatur, & voluntas prius bene disposita, ei purissimo amori magnâ cum quiete inhæreat, quæ verissima est contemplatio. Quod si id initio non contingat, saltem euenire facile solet post elicitos illos affectus, quibus in Deum voluntas sustollitur. Quare diu nullus benè meditatur, qui non sæpe etiam veros contemplationis actus admixtos experiatur.

I v

CAPVT XVII.

*Qualis debeat esse meditatio
eorum qui salutem pro-
ximorum vacant.*



HIC modus meditandi in eo cæteris præferendus videtur, quod fit maximè vniuersalis, possitque facillimè, & magna cum vtilitate, ab omnibus vsurpari, in quocumque tandem vitæ genere versentur, si modò ad proprium cuique finem accommodetur; nam non minus ad contemplatiuam perfectionem, quàm ad actiuam, & mixtam promouendam efficax est. Et vt nihil seorsim

de actiua & contemplatiua hic dicamus, omittere non possumus quin hoc loco qualis eorum, qui proximorum salutem dant operam, meditatio esse debeat, dicamus: inde enim manifestum erit hunc & non alium meditandi modum illis potissimum conuenire. Qui igitur ad maiorem Dei gloriam, non sola sua salute & perfectione contenti, in eum etiam finem intendunt, ut alios in sua salute & perfectione iuuent, eorum meditationem tribus his conditionibus instructam esse necesse est, ut ad utrumque finem consequendum medium efficax esse possit.

Primò non sufficit ea per-

204 DE ORATIONE
fectio quæ contemplatiui ho-
minis orationi satis esset, vt
nimirum in sola Dei contem-
platione & fruitione cōquie-
scat, sed præterea diuinæ cō-
templationis abundātiā in
actiones proximo vtilēs deri-
uare debet: Neque vt solūm
Dei cognitione & amore im-
pleatur, & suum hominē pa-
scat sterili quodammodo di-
uinæ gloriæ æstimatione ac
desiderio; quod vt Racheli,
sic orationi contemplatiuæ
conuenit: sed per eam ipsam
Dei cognitionē & amorem,
diuinæque gloriæ æstimatio-
nem, ad eandem gloriam, cæ-
teris omnibus bonis creatis,
atque adeo vita propria, post
habitis, re ipsa procurandam,

& in quamplurimos alios, quasi filios propagandā, incitetur; imo ipsa Dei charitate impellente, vrgeatur. Et quēadmodum ipse Deus, suā licet contemplatione & amore perfectus & beatus, ex pleno veluti sui amoris thesauro, sui cognitionem & amorem gloriamque suam extra se per opera naturæ, gratiæ, & glorię effundit: Quemadmodum etiam Christus ipse Dominus contemplationis, amoris, diuinæque gloriæ desiderij plenitudine non contentus, ex hoc eodem fonte externas actiones etiam vilissimas, ad Patris gloriā in procuranda hominum salute amplificandam, exprompsit: Ita sanè necesse est eum, quē

Deus ipse & Christus ad suã imitationem & perfectam maioris suæ gloriæ amplificationem vocauit, eam imprimis in sua meditatione Dei cognitionem, amorem, & æstimationem diuinæ gloriæ concipere, quàm quisque cõtemplatius conciperet: deinde etiam tanta eam plenitudine, constantia, ac feruore cumulare, vt in alios etiam perenni quodam fluxu exundet & erumpat.

Secundò quoniam ad eam maioris diuinæ gloriæ perfectam procurationem, non vna aut altera duntaxat virtus, sed omnes prorsus, atq; in suo supremo gradu, sunt omnino necessariae; ideo eorũ medi-

tatio, qui ad eum finem maioris Dei gloriæ vocati sunt, non tantum ad practicam diuinæ illius gloriæ æstimationem tendere debet, sed etiam ad solidam virtutū omnium acquisitionem. Et quidem oratio contemplatiua quamquã ad virtutes nõnullas tendat, quæ ad vitæ illius quietem necessariae sunt, plurimas tamen omittit, quibus ea vita carere sine detrimento potest. At verò oratio hominis qui vitæ mixtæ se dedidit, ad omnes prorsus virtutum affectus excitandos, earumque perfectionem acquirendam tendit: virtutes enim omnes non tantum Theologicæ, sed etiã Morales, patientia, mansue-

tudo, zelus animarum, animi fortitudo, humilitas, & id genus aliæ sunt huiusmodi, vt earum nõ qualecumque præsidium, sed absolutam perfectionem mixta vita requirat; si modo sine suo periculo, & diuinæ gloriæ imminutione, alios quis iuuare velit, scilicet efficaciter; non externa tantum bona deserendo, quod contemplatio vt plurimum satis est, sed seipsum quoque diuinæ gloriæ perfecta mortificatione immolando.

Atque vt intelligatur quàm merito oratio in vita mixta ad perfectã praxim virtutum omnium, quæ non nisi per orationem cõparantur, natura sua feratur, operæpretium

est paucis attingere, quanto-
 pere iis virtutibus genus illud
 vitæ opus habeat. Primum e-
 nim virtutum perfectio ho-
 minem tanquam instrumen-
 tum gloriæ Dei, Deo ipsi
 principali causæ aptè coniū-
 git, nec enim doctrina, inge-
 niū industria, prudētia natu-
 ralis, cæteraque huiusmodi
 humana dona, eã per se pro-
 portionem habent, vel cum
 Deo primo principio, vel
 cum fine gloriæ eius, qui in
 eo consistit, vt Dei ipsius co-
 gnitio, & amor in aliorum
 animis generetur, quæ ne-
 cessaria est vel vt causa secūda
 debitè primariæ subiiciatur,
 vel vt fini apta media respon-
 deant, nisi accedat sanctitas

quæ ex virtutum omnium perfectione ita conflatur, vt & hominem Deo similem efficiat, & idoneum qui eam similitudinem in alios possit propagare. Deinde quamuis nonnunquam diuina bonitas ad suam gloriam & aliorum utilitatem eorum operâ utatur, qui minus perfecti sunt, eorum tamē plerumque functiones, & ministeria solidis virtutibus vacua, ac proinde proprio amore infecta, obtusa quodammodo voluntatis acie, & animi feruore represso, segnius exiliunt, diuinæ operationi moram, impedimentumque obiiciūt, in animos aliorum non penetrant, & inani fere conatu plus va-

næ sui æstimationis, quàm
solidi diuinæ gloriæ fructus
pariunt. Accedit quod vt a-
lios iuues, exemplo non mi-
nus quàm verbis sit opus. Est
enim hoc breue & efficax vir-
tutis iter, si vita persuadeas ac
moribus, quod doctrina & co-
hortatione proponis: ne-
que satis explicari potest quã-
topere obsit vtilitati hominũ,
quibuscũ ex officio versaris,
si aliqua imperfectione te-
nearis; hoc potissimùm tem-
pore, quo oculatissimi homi-
nes, & in rebus spiritualibus
satis versati, minimos quos-
que næuos deprehendunt,
sic etiam vt iis offendantur.
Denique non in alio magis,
quàm in hoc negotio com-

mune id valet. Nemo dat quod non habet. Quomodo enim ad humilitatis studium superbus, patientiæ & mansuetudinis iracundus, ac sui impotens, mortificationis & cæterarum virtutum sui amore, & cæteris imperfectionibus plenus, excitabit? Iactare, quidem is homo poterit elegantes in speciem, & selectis ornatas verbis sententias, multa insuper lectione concinnatas, nec tam propria experientia, quàm aliorum ex libris collectas conciones; solidos tamen virtutum affectus in aliorum animis haudquaquã in generabit; ex solo quippe interiori feruore mentis, & spiritu pietatis ad per-

mouēdos hominum animos
 verba loquentis efficaciam
 robúrque desumūt. Quo spe-
 ctat B. P. Ignatij sententia,
 qui, dum admonet eos om- P. 10. 5.
nes qui se Societati addixerunt,
2.
*ut in virtutum solidarum, ac
 perfectarum, & spiritalium re-
 rum studium incumbant, ac in
 huiusmodi maius momentum,
 quàm in doctrina vel aliis do-
 nis naturalibus & humanis cō-
 stitutum esse ducant; eius rei ra-
 tionem ex ministeriis exter-
 nis & circa proximorū salutē
 subiungit; Illa enim, inquit,
 interiora sunt, ex quibus effica-
 ciam ad exteriora permanere ad
 finem nobis propositum oportet.*
 Conforme est D. Bernardi ser. 18.
 consilium, qui suos hortatur in Cāt.

vt per orationem ditari ipsi prius velint virtutum opibus, quàm easdem ad aliorum salutem effundant. vbi etiam indicat quanto in periculo versetur is qui dum orat, non tam implere se virtutibus, quàm se ad alios implendos comparare, contendit. Quod

ser. 18.

in Cāt.

tuum est, inquit, spargis & perdis, si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere: nimirum vita atque salute, quam alteri das, te ipsum fraudas, dum sana vacuus intentione, gloria inanis vento inflaris, aut terrena cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis. Quamobrem si sapis concham te exhibebis, & non canalem; hic si-

quidem penè simul & recipit, & refundit; illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deterio-rem. Et paulò post inanem eius hominis laborem & conatum ostendens ait, Implere prius, & sic curato effundere, alioqui nec mihi sedet ditari ex te exinanito, si enim tu tibi nequam cui bonus eris? De cumulo si vales adiuua me, sin autem parcito tibi.

Tertiò denique sanctis desiderijs & orationibus, quibus, vt loquitur B. Ignatius, iuuatur maximè proximus, meditatio vitæ actiuæ plena esse debet, quibus partim præteri-

p.7.c.4

torum laborum sementem irriget, partim ad futuram eorum messem, nouique laborem se strenuus agricola comparet, & priusquam, ut D. Augustinus ait, *exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, ut eructet quod biberit, & quod impleuerit fundat.* Ea est enim sanctorum desideriorum, & humilium vis orationum, ut Deum ipsum, qui solus operatur omnia in omnibus, & humanæ salutis initia progressum & cōsummationem sua solus operatione attingit, efficaciter applicent ad ea in hominum animis operanda, quæ vita mixta efficere intendit: nisi enim ipse accedat &

ma-

l. 4. de
Doct.
Chr. c.
15.

manū tanto operi admoueat, nulla humana vis, nulli conatus, nulla exhortatio quidquam efficiunt: vt autem Deus accedat, applicet se, & concurrat, non eum nostra industria, facundia, ingenium, doctrina, sed pia oratio, ex humili & ardenti corde proficiens, permouebit. Quare etsi contingat quosdam concionatores orationi non deditos magnos interdum in animis auditorum motus excitare, nihil tamen dubium est, eos motus quos à Deo fieri constat, non tam eorum verbis, quàm feruentibus precibus aliorum, qui fortasse hominibus ignoti despectūq; delitescūt, impetratos, à Deo

excitari; & in die iudicij mirabimur tot effectus diuinæ gratiæ, quos in hac vita quibusdam magni nominis concionatoribus homines tribuunt, aliorum quorundam simplicium, & idiotarum orationibus à Deo iusto iudice vindicatos reddi. Et quanquã ad eum modum plurima gratiæ dona fidelibus passim impetrare valeant contemplatiuorum orationes & suspiria, longè tamen maior ad impetrandum vis & efficacia inest orationibus illis, quas fundit qui diuinæ gloriæ procuracionem Deo vocante susceperunt: nec dubium est quin fidelis Deus eos potissimùm exaudiat, qui eius negotia

procurāt, & eorū labores peculiari quodam gratiæ & benedictionis rore perfundat, quos propriæ vtilitatis ac etiã vitæ oblitos, videt totos se ad aliorum salutem & curandam & fusis maiori cum fiducia precibus suo quasi iure impetrandam, consecrasse. Fuit hic orationis spiritus in Apostolis & viris Apostolicis, insignis tantorum fructuum artifex, totus illi dies laboribus, noctes orationibus consumpserunt. *Testis est mihi Deus, inquit Apostolus, cui seruo in spiritu meo, in Euāgelio filij eius, quoniam sine intermissione memoriã vestri facio in orationibus meis, obsecrans si quo modo &c.* Plenæ sunt eius

220 DE ORATIONE
epistolæ partim actionibus
gratiarum, partim ardentibus
precibus, quas passim suis ad-
hortationibus admiscet, iis-
que fidelium mentes, quasi
teneras plantas, ascito diuinæ
gratiæ ex cœlo rore, irrigat
& perfundit.

CAPVT XVIII.

Examen post meditationem.

NOST meditationem
eius examen omitti
numquã debet, per
quartam circiter horæ partē:
est enim maioris quàm credi
possit utilitatis: in eo tria sunt
consideranda.

Primò quis fructus ex me-

ditione extiterit, hæc enim commemoratio altiùs imprimet memoriæ tum lumina supernaturalia, nouasque veritates à Deo communicatas, tum proposita & pios affectus, sic vt interdium recurrant vltro & suo nobis tempore opitulentur. Quare vtile erit aliquot orationes iaculatorias ex iis conficere, quibus interdium animũ colligamus. Quidam etiam valdè vtiliter præcipua lumina & motiua, quæ efficacia experti sũt, breuiter notant scripto, eaque repetunt cùm in conscientie examine discutiunt quomodo sint meditati, sic enim iis facilius vtuntur, vel cùm occurrit occasio designatæ exe-

quutionis certo tempore & loco, vel cùm proximos alloquuntur familiariter, vel cùm animo aridi sunt. Ea enim relegendò exardescunt iidem affectus, & ad perfectionem persequendam acriùs inflammantur, suamque ipsi damnant tepiditatem, mirantur vnde exciderint, & hâc veluti face quâ pergere ad perfectionem debent viam intuentur. Quare & Beatus Pater Ignatius id faciebat, & Beatus Pater Xauerius suadebat: & vero excitant quæ Pater Faber, P. Euerardus, Pater Baltazar, aliique nostræ Societatis præcipui sanctitate Patres sibi in eum finem notaerant.

Secundò discussis ad eum modum, notatisque meditationis fructibus, inquirendum est diligenter quomodo iidē per totum diem & singulas vitæ actiones, tanquam diuinum semen spargi possint: & in particulari notanda sunt tempora, loca, personæ, negotia, omnes denique circūstantiæ, quæ occasionem aliquam præbere poterunt illo die virtutes illas ad quas nos excitari sensimus exercendi; & primùm quidem habenda est ratio earū actionum, quæ ordinarię sunt, & ab obedientia nobis impositæ vt ipsę virtutum istarum honestate, si eā egeant, eiúsque capaces sint, exornentur. Deinde

prospiciendum est, num creari à nobis opportuna occasio possit, si se vltro non offerat, qua aliquoties in die externis vel saltem internis actibus pios istos virtutum affectus & lumina & motiua in vsum aduocentur, vel saltem renouentur vt altiùs menti inhæreant, & ad concepta proposita voluntas firmiùs adstricta adhærescat. *Nihil enim*, inquit S. Hieronymus, *in hoc secreto magis agere debes, quàm animã diuinis eloquiis pascere, & quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti pinguiore cibo satiare.* Et Basiliius, *Operam sedulo da, vt in ea mercatura quam in luculento vite genere, præclaris que mune-*

ep. i. ad
Deme-
triad.

ser. de
abd. re-
rum.

ribus communiter unà cum cæteris facis, seorsim tu questus accessiunculam aliquam habeas, quo repositas in die necessitatis diuitias habeas. Præterea satis esse non debet, si virtutum illarum substantiales actus exerceantur, sed habenda est etiam ratio perfectionis in quâlibet virtute maximæ, ad quâ his gradibus ascēditur, vt primò quidē actus eius cū occasio occurrit fiant, etsi cum aliquâ naturæ pugnâ & molestiâ. Secundò superatâ naturæ difficultate promptè iam & vltro suscipiâtur. Tertiò etiam cum voluptate & consolatione spiritali exercentur. Quare in hoc orationis examine collimādum

est ad hos gradus, donec ad
supremum conscenderimus.

Denique nonnūquam discu-
ti potest quid utilitatis ex no-
strā meditatione, & spirituali
eius fructu, quem ipsi nos de-
cerpsimus, & veluti in nobis
collegimus in proximum de-
riuare eā die pro occasione
possimus, vt maior ex eo quo-
que in diuinam gloriam uti-
litas redūdet. De eo quoque
Demetriadē monet ibidem
Hieronymus.

*Adhibe tibi
etiam in vrbe solitudinem, &
remota paulisper ab hominibus
propius Deo iungere, aspectū-
que tuorum reddita, lectionis
fructum & orationis ostende.*

Solent verò plerumque hæc
eadem in meditatione tracta-

ri, verùm si in examine repetantur, longè id vtilissimum erit, cùm experientia doceat ea quæ semel tantùm agitata à nobis sunt facilè memoria effluere, tum verò conseruari cum aliqua repetitione & reflexione altiùs infiguntur.

Tertiò examinandi sunt ij defectus qui in ipsâ meditatione & præparatione admiffi sunt. Nam id valdè con- ducit, vt tandem veram benè meditandi viam inueniamus, sic enim rectè omnes nostræ actiones componi possunt. Si vbi peractæ sunt, in eas oculos reflectamus, & diligenti eas examine perpendamus. Porro impedimenta quæ fructum meditationis interci-

piunt, ad tria præcipuè capita reuocantur. Primum est defectus deuotionis, & desiderij veri Deo perfectè seruiendi, tùm in totâ vitâ, tùm in oratione ipsâ: & hic defectus est in voluntate. Secundum, defectus attentionis & distractiones, qui defectus in intellectu præcipuè consistit. Tertium deceptiones & illusiones, mali vel humani spiritus, quas tam in intellectu, quàm in voluntate pati nos contingit.

CAPVT XIX.

Fructus orationis.

Vr autem facilius per
examen deprehenda-
mus quinam sint Fru-
ctus Meditationis, breuiter
ante oculos ponere visum est,
non quidem omnes, sunt e-
nim innumeri, sed præcipuos
quosque. Respondent autem
maximâ ex parte illis affecti-
bus, quos supra excitandos
esse diximus; paucis omnes
complectitur Bernardus. *O-*
rando bibitur vinum spirituale
letificans cor hominis, vinum
scilicet Spiritus Sãcti, quod ine-
briat mentem, & carnalium

in Epi-
stol.

230 DE ORATIONE
*voluptatum infundit obliuio-
nem, humectans interiora aren-
tis conscientia, escas bonorum
actuum digerit, & deducit per
quadam anima membra, fides
roborans, spem confortans, ve-
getans ordinansque charitatem,
& impinguans mores. Nos
paulò fusiùs, & alio ordine
eosdem prosequemur.*

PRIMVS FRVCTVS.

Lumen practicum.

P R I M V S Fructus oratio-
nis Mentalis est, nostri
& Dei, eiusque sanctissimæ
voluntatis cognitio, eaque
practica, quæ certè funda-
mentum est & basis salutis
nostræ & omnis perfectionis,

Ea cognitio hausta ex ipsis fidei principiis per fidei lumen & cætera intellectui infusa sapientię dona spargit sese, meditationis beneficio, & longè latèq. in Deũ & eius opera & in nostras omnes actionem deriuat. *Sicut enim*, ait Chrysoſt. *ſol lucem præbet corpori, ſic anima lumen eſt præcatio.* Quo fit vt hæ actiones noſtræ, vbi ſigillatim cum diuinâ ſanctitate & voluntate veluti propriâ ſuâ regulâ, vel cum Chriſti Domini vitâ ceu vero exemplari conferuntur, deprehenditur facilè quales ſint, quid illis deſit, quid & quomodo formandæ, reformandæque ſint. Atque eâ de cauſâ magna eſt meditatio.

l. i. de
orand
Deo.

232 DE ORATIONE
nis cum examine cōscientiæ
cognatio. Nam per consciē-
tiæ examen in notitiam ali-
quam imperfectionum no-
strarum deuenimus, & per
meditationem quam graues
eæ sint, & quomodo iis subla-
tis actiones nostrę reforman-
dæ sint, discimus. Itaque si
benè simul cohercant, fieri nō
potest quin efficaciter expul-
sis imperfectionibus forma
perfectionis acquiratur, di-
scussis per lumina practica te-
nebris, quæ mentem cæca
quadam sui & Dei ignoratio-
ne obducebant. Hæc autem
lumina practica examinan-
da post meditationem sunt,
& notanda eò diligētius quo
fuerint magis particularia.

S E C V N D V S F R U C T V S.

Puritas mentis.

SE C V N D V S Fructus est perfecta animæ puritas, Nam in viâ purgatiuâ, meditatio sordes peccatorum abluit & ab omnibus grauioribus purgat: in illuminatiuâ à venialibus deliberatis, vel ex adhæſione ad bona creata prouenientibus liberat; denique etiam quantum in hac vitâ fieri poteſt, minuit veniales lapsus qui ex infirmitate & ſubreptione contingunt. Nam non tantùm ſeparat animam ab affectibus terrenis, ſed etiam ab eorum occaſionibus longè reinouet: facit

enim reipsâ vt mundum deferat, & fugiat quæ adiaphora seu indifferentia videntur, vt diuitias, honores, famam & commoda corporis, & potius inclinât ad perfectam Christi imitationem & crucem, ex quibus fit vt longè omninò fugiat à periculis & occasionibus venialium. *Fru-*

in Pf.
85.

mentum tuum, inquit August. *si haberes in inferioribus, ne putresceret leuares illud ad superiora, non putrescit cor, si leuetur ad Deum.* Præterea tenebram reddit animam & delicatam, sic vt minimos veniales lapsus magis sentiat, & grauiore reputet, quàm multi suos lethales & crassos, eam etiam sollicitam valdè efficit,

nihil vt aliud exoptet quàm
vt vni Deo placere quàm ma-
ximè possit, & ægerrimè ferat
si vel minimo eum peccato
offendat, alit enim genero-
sum animum qui sese ad mun-
di nugas & inanem sæcula-
rium hominum conuersatio-
nem abiicere dedignatur, ni-
hilque horret magis, quàm
quod displicet Deo. Deni-
que abundantiam quodam lu-
mine eam implet, & sic illu-
strat, vt nihil in eâ latere pos-
sit quod non ipsa peruideat,
& cui non diligenter op-
portuno remedio prospiciat.
Hinc frequens conscientie
examen, hinc sedulum & di-
ligens exercitium virtutum
omnium, maximèque vitæ

Chryf.
l. i. de
orando
Deo.

puritati seruientium, qualis esse solet poenitentia, mortificatio sensuum & linguæ, timor Dei filialis, castitas, temperantia, fortitudo & prudentia ipsa quæ vulpeculas paruulas, id est fallaces carnalis mundanæque sapientiæ captiunculas capit, deprehensasque perdit. *Nec enim, inquit Chrysostronus ibidē, sustinet deprecatio versari inter pauperes, sed in quorumcūque pectore sibi domiciliū delegerit, eos reddit plenos omni iustitia, erudiens & exercens ad virtutē, ac malitiam omnem propellens.*

TERTIVS FRUCTVS.

Vera mortificatio.

TERTIVS Fructus est affectus veræ mortificationis tam sensualitatis, quàm passionum & malorum habituum: cùm enim omnes sensuum voluptates ex corde, tanquam ex fonte profluant, si per sanctos affectus in meditatione excitatos ipsum hominis cor & voluntas repleatur sancto sui odio, coërcebit sine dubio sensuales delectationes, & inordinatorum motuum redundantiam omnem ab ipsa radice amoris proprii gladio sanctæ mortificationis & poenitentiae re-

scindet, ignéque diuini amoris penitus comburet. Nam licet mortificatio distingatur à meditatione, & multi appareant operibus mortificationis dediti, qui parùm vacant orationi, tamen vix potest esse solida mortificatio, quæ non oriatur ex meditatione & oratione: cùm supponat odium magnum sui & peccati, ex quo generetur fuga omnium occasionum & periculorum, & continua in se naturamque suam pugna. Quæ certè amarior est & difficilior, nisi per meditationem confortetur anima, & plena tum spirituali lumine, tum sui cognitione solidioribus deliciis ad sensuũ

oblectationes refecandas ro-
boretur. Hinc videmus eos
omnes qui benè vt decet me-
ditationi vacant , sui etiam
mortificationi vltro vacare
strenuè, & illatas vel à proxi-
mo, vel aliunde, Deo ita per-
mittente, afflictiones, non æ-
quo tantùm animo, sed etiam
libenti tolerare, siue in sui vl-
tionem, siue ob Dei amorem,
cuius glorię, commoda pro-
pria, vitámque ipsam postpo-
nere, & ex integro seruire se
gaudent siue agendo, siue pa-
tiendo. Ergo si quis huiusmo-
di affectus sit excitatus, no-
tandus ille est & eius motiuũ,
vt suo tempore in praxi, cùm
occasio aderit, ad sensus, pas-
sionésque frænandas applice-

240 DE ORATIONE
tur, quod quomodo fieri cō-
ueniat etiam dispiciēdum est.

QVARTVS FRVCTVS.

Rerum omnium contemptus.

QVARTVS Fructus est per-
fectus omnium rerum
contemptus & renunciatio,
cū enim per meditationem
Deum ipsum, infinitum nem-
pe bonum, diuitias immen-
sas & gloriā, deliciāsque ine-
narrabiles intellectu & volū-
tate possidet anima, facilè est
illi res omnes alias fastidire
& abiicere, vt stercora, licet
sine peccato retineri possent,
imò etiam seipsam prorsus
abnegare, ac quod in se ius
habet abdicare, & in Deum
ipsum

ipsum transferre, adeo ut nihil præter eum magnificare & possidere velit, & omnia propter ipsius gloriam contemnere gaudeat. *Quisquis enim* (ut Deum alloquitur D. Augustinus) *cognoscit te*, Solilo.
c. 1. (quod maximè fit per meditationem) *diligit te, se obliuiscitur, amat te plusquam se, relinquit se & venit ad te, ut gaudeat de te, &c.* Adde quod ex familiaritate cum Deo tanta animi magnitudo promanat, ut qui cum eo versantur, non omnia vitæ bona tantùm, sed etiam mala parui æstiment, omnibûsque laboribus, tormentis cruciati- bus animam excelsiorem gerant. *Quemadmodum qui in*

excelso aliquo, sublimique
 loco constituti sunt, omnia
 inferiora quæ antea suspicie-
 bant & admirabantur, despi-
 ciunt, ac parua ferè que nul-
 la æstimant. *Iusti*, inquit
 Gregorius, *supra se interius*
rapti in alto animum figunt, at-
que dum extra carnem fieri mē-
te decertant, ipsa pæne que pa-
tiuntur ignorant: nam velut in
magni mentis vertice subiecta
sibi intus vident, que per carna-
lem gloriam foris tument. Hic
 denique ortum habet reli-
 giosæ vitæ præcipuum, non
 tantùm fundamentum, sed
 etiam ornamentum, pauper-
 tas spiritus, nuditas, & spo-
 liatio sui perfecta, sicut etiam
 magnanima illa ac fortis in-

l. 5.
 mor. c.
 22.

iniuriis & morte ipsâ pro
Christo toleranda, patientia.

QVINTVS FRVCTVS.

Sui contemptus & odium.

QVINTVS Fructus est,
quod per orationē men-
talem illustrata anima, & in-
timam sui notitiam adeptā,
non eam tantū vanam ani-
mi elationem, quæ ex rerum
terrenarum abundantia, &
prospero successu, sed etiam
spiritualem, quæ ex virtutum
& bonorum spiritualiū pos-
sessione oritur, facillimè eui-
tat, intelligit enim se à seipsa
nihil esse, & nihil habere suis
meritis, quæ etsi in se aliqua
agnouerit, Dei tamen dona

esse scit, non sua : neque verò etiam sibi deberi bona quæ accepit , sed potiùs peccatis supplicia , quæ iustè timere potest , & illa peccata sua æqua lance ponderãdo eorum grauitatem sentit, & omnium pedibus eorum onere depressa se subiicit , tantùm abest vt aliis sese præferat , aut in Dei donis singularem se reputet , aut haberi velit. Atque hæc ipsa humilitas, initio quidem verissima sui notitia innititur præcipuè ; sensim verò eò asurgit , vt cum omnibus aliis Deum præsentem & operantem , & innumera eius dona agnoscat, libentissimè sese demittat infrà omnes , vt in aliis quasi exaltet Deum magis ac

magis, eúmque extollat, atque magnificiat. Quare si qui affectus huiusmodi sunt in meditatione excitati, magnificiendi sunt & instar baculi, qui in lubrico vitæ spiritualis itinere semper sit ad manum, vt nos fulciat & sustineat, sunt habendi.

SEXTVS FRVCTVS.

Contemptus vana hominum æstimationis & dignitatum.

SEXTVS Fructus est fuga & contemptus vanæ hominum æstimationis, gloriæ, honoris & amoris singularis, quæ inter mundi bona solent maximè generosos animos mouere. Affectus enim glo-

riæ & honoris vani nascitur ex ignorantia, siue sui, siue hominum, qui nos laudant, magnique faciunt aut honorāt, siue eorum bonorum propter quæ laudari nos, & amari, & honorari appetimus. Quæ omnia cū sint Dei dona, certè tantummodo sunt ab eo donata nobis, & appetenda quatenus idonea sunt media ad ipsius gloriam, non autem ad nostram qui nihil sumus. Hanc ignorantiam depellit meditatio, & ingenerat in animis nostris contemptū nostri & amorem Dei, ac affectum ad eius gloriam & honorem omnino propēsū, cui seruire omnia bona nostra debent. Huc etiam spe-

Est ambitio, quæ nihil est aliud quàm desiderium potestatis alios gubernandi, cui annexa est repugnantia in subiiciendo se humiliter alterius regimini. Hanc excellentiã superbi appetunt, vt quoddam bonum proprium; quo modo nõ est tantum vanum, sed periculosum. Quis enim nouit an optatis officiis si potiretur, fungi dignè posset? Deus in Ecclesia & republica diuidit officia omnia prout vult, & vtitur quibus vult tanquam instrumentis ad alios ad gloriæ suæ amplificationem instituendos & dirigendos. Quare signum est magnæ ignorationis sui & Dei, appetere huiusmodi di-

gnitates, cū nemo sciat an habeat vnde satisfacere iis queat, & licet habeat idoneas animi vires quibus eas posset pro dignitate sustinere, scire tamen non potest an velit Deus vti tali instrumento, imò iudicare de se quuis debet, se planè indignum esse, quo Deus ad res præclaras v-tatur. Quare si fortè vocetur ad aliquod simile officium, non tantum nō acceptat auidè, sed refugit quantum potest. Vbi verò non potest, cum humili timore submittit humeros, sese Deo subiicit & coniungit vt eius instrumentum, & putat sui tunc muneris esse plura pro Deo agere & pati, nō autem sua curare,

aut suam operosè authoritatem tueri. Hæc omnia mirum est quàm clarè meditatio detegat, ac proinde hi affectus adeo excellentes ad quotidianam sui contemptus praxim vtiliter valdè applicari possunt si notentur.

SEPTIMVS FRUCTVS.

Proprii sensus expoliatio & obedientia.

SEPTIMVS Fructus est mortificatio tùm voluntatis, tùm intellectus, humilisque subiectio & obedientia non erga Deum tantùm, sed etiam erga homines Dei vicarios. Prouenit hic fructus ex suæ tùm cæcitatibus, tùm

250 DE ORATIONE
malitiæ propriæ voluntatis
cognitione & prouidentia
Dei suauissimæ, à qua omnis
ordo & potestas dimanat.
Hanc cognitionem hauri-
mus in meditatione, vnde
non solent esse proprii iudicij
& voluntatis amatores, qui
benè meditantur. Hocque
inter cætera certum est signū
bonæ orationis, quando hæc
nos planè superioribus subii-
cit cæcâ quâdam obedientia,
& quæ clausis oculis ad ra-
tiones humanas quæ diuino
vel superiorum præcepto cõ-
trariæ videntur, sanctâ qua-
dam simplicitate & sapienti-
stultitia, id quod præceptum
est exequitur. Præterea verò
meditatio solet valdè tempe-

rare affectus omnes volūtatē,
& intellectus practici iudicia
corrigere, & potentiam hanc
vtramque sensim aptare, &
dirigere ad primam & sum-
mam regulam omnis bonæ
voluntatis & iudiciij. Atque
hæc propriæ voluntatis mor-
tificatio cū perfecta est, ex-
cellens amoris Dei effectus
est quo ad eius gloriam &
honorem præstantissimā no-
stri partem, & libenter subii-
cimus, & propter eum benè
afficimur tum erga superio-
rem, tum erga id quod præ-
cipit, tum erga illam subie-
ctionem quâ ita Deum hono-
rari scimus. Cū igitur affe-
ctus aliquis odij in propriam
voluntatem & iudicium me-

252 DE ORATIONE
ditando excitatus est, colli-
gendus est ne effluat, & con-
siderandū quomodo in pra-
xi vsui esse queat ad frangen-
dam; cū occasio aderit, vo-
luntatem, non tantū quan-
do cum superiore agitur, sed
etiam quando cum aliis.

OCTAVVS FRVCTVS.

Desiderium perfectionis.

OCTAVVS Fructus est
desiderium ardens pro-
ficiendi in perfectione. Nam
ille est ignis qui solet exarde-
scere in meditatione, & ma-
ximum feruorem totius diei
exercitiis communicare, ad-
eo vt quæcumque ad perfe-
ctionem spectant, integrè,

feruenter, constantérque perficiantur. Hæc est aqua sapientiæ salutaris, qua Christus orantes potat, quam qui bibunt adhuc sitiunt: *Hæc est dulcedo cælestium pulchritudinum*, inquit Eucherius, *quæ quanto intentius queritur, tanto intentius desideratur*. Nam vt officium meditationis est mentem illuminare practicè, & attentam facere circa omnium virtutum studium, fieri non potest, quin in ipso quotidianæ vitæ vsu lux illa & ardor in meditatione cõceptus adsit, & in executionem continuò stimulet & iuuet, vt experiuntur ij qui diligenter in meditationem incumbunt. Est enim verus animæ cibus,

HOM.
de B.
Max.
Episc.

254 DE ORATIONE
quo vniuersum virtutum &
perfectionis corpus sustenta-
tur, alitur & augetur, sine quo
lāguet planè & sensim interit,
nec tantùm feruentia deside-
ria excitat, sed etiam discre-
tionis mater est, vt exequu-
tio ipsa prudens sit, præluceat,
& à Deo opem auxiliúmque
impetrat, vt ea quæ proposita
sunt perfici queant. Denique
aperit ipsa singularum virtu-
tum naturam & pretium, &
pro naturæ necessitate, ac cu-
iusque dignitate nos impel-
lit, vt vel hanc vel illam no-
bis comparemus. Hæc verò
desideria vt efficacia sint per-
pendendum est, quomodo
singula ad singulas actiones
vitæ nostræ accōmodari de-
beant.

NONVS FRVCTVS.

Imitatio Christi.

NONVS Fructus est vera & solida imitatio Christi Domini, ad quam imitatio præcipuè vitæ & passionis eius nos ducit. Qua scilicet exemplaria contēplamur virtutum eius omnium, atque id eo fine, vt qui Deum in ipsomet Deo imitari nō possumus, etiam ad aliquam ipsius imitationem incitemur, ei saltem homini facto perfectè nos, vitamque nostram conformemus. Nam ideo dicit se esse lucem mundi, quia ex eius actionibus lux quædam practica effulget, quâ virtu-

tum eius perfectionem cer-
namus, & in nobis imprima-
mus per contemplationem,
donec trāsformemur de cla-
ritate in claritatem tanquam
à Domini spiritu. Atque hic
vnus fructus omnes alios per-
ficit, & euehit ad summum
gradum, quando efficit, vt
talis sit nostra mortificatio,
renunciatio bonorum omniũ
& famæ, humilitas, obedien-
tia & cæt. qualis fuit Christi.
Qui igitur intellectu & vo-
luntate in solem iustitiæ horâ
integrâ meditationis conti-
nenter intentus & eius splen-
doris, perfectionisque arden-
ti amore correptus fuerit, ta-
li sit affectu tota die curare
debet, vt velut radius quidam

diuinæ lucis ei à quo splendorem trahit se reddat quàm simillimum.

DECIMVS FRVCTVS.

Intentionis rectitudo.

DECIMVS Fructus est intentionis rectę perfectio, quę propriè est ab amore Dei, quando non quærimus per vitę nostrę vsum commodum aliquod proprium bonum, corporale, temporale, aut humanum, imò nec spirituale, sed in omnibus & præ cæteris vnum Dei bonum & gloriam. Meditatio enim imprimis in bonis omnib⁹ discernit rationes formales, sub quibus illa ap-

peti à voluntate possunt, eam-
que demùm voluntati pro-
ponit, in quam eius electio &
intentio feratur, quæ maiorē
cæteris veri boni rationē in-
cludit. Enimverò cùm inter
bona creata & naturalia, sciē-
tia exēpli gratia appeti soleat
à quibusdam, quia est bonum
intellectus, qui naturaliter
perficitur à scientia, & hic fi-
nis sit inutilis, & vana curiosi-
tas: ab aliis quia est medium
ad diuitias comparandas: ab
aliis quia confert ad honores
& hominum æstimationem
colligendam, & hi omnes fi-
nes auaritiæ fordibus aut am-
bitionis & vanitatis fumo cō-
maculati sint. Deinde verò
cùm eadem scientia possit ef-

se medium ad Dei gloriam, quatenus per eam Deum & nos cognoscimus, melius & ad eum amandum efficacius prouocamur, vel quatenus potest nobis esse instrumentum ad aliis eandem Dei cognitionem & amorem communicandum, sitque hæc ratio eam appetendi, atque eius comparandæ finis honestissimus; Meditationis proprium munus est excussa ceterarum huiusmodi rationum leuitate, huius vnus soliditate motus voluntatis naturâ vagos ac fluctuantes confirmare.

Idem verò etiam in bonis supernaturalibus, atque in naturalibus iudicium esse debet. Nam in supernaturali-

bus bonis duplex quoque est ratio formalis cur appeti possint: gratia enim & gloria exempli causa & sunt bona nostra quo modo ea appetimus, petimusque per virtutem spei & amorem qui vocari solet concupiscentiæ, quæ intentio bona est, sed non omnium perfectissima, & verò sunt etiam media ad Dei gloriam aptissima, sūt enim excellentia quædam eius opera, in quibus immensæ eius perfectiones, tanto elucet clariùs, quantò ipsa maior est sanctitas & gloria, sic autem ea præcipuè desiderare, amoris & charitatis perfectæ est. Cùm igitur res ita se, quemadmodum diximus, habeant in bo-

nis naturalibus & supernaturalibus. In utrisque hoc præstat meditatio ut & rationes solidas clariùs menti detegat, & voluntati acriores stimulos addat, ut Dei bona propriis abdicatis in singulis nostris actionibus, atque adeo continuo in totâ vitâ nostrâ, non minore constantiâ, quàm intentionis puritate, persequamur.

VNDECIMVS FRUCTVS.

Vnio cum Deo.

VNDECIMVS Fructus est perfecta unio animæ cum Deo per amorem actua-lem, & frequentes in Deum aspirationes, quæ ex fonte il-

lo amoris manant , & toto die eructare faciunt animam verbum bonum. adeo vt nō nunquam nihil aliud loqui, nihil cogitare præter Deum possit. Tanta est nimirum suauitas & facilitas conuersationis cum Deo familiaris, quæ ex oratione mentali oritur, vt inde efficiatur vt verè semper homo quodammodo oret, & omnia sua opera illo diuini amoris sapore condiat, & siue bibat, siue comedat, siue studeat, aut quiduis tandem aliud agat, in Deo, & cū Deo, quem semper præsentem habet, illud agere videatur. Huc spectat deuotio illa continua & affectus Deo placendi in omnibus, item actualis con-

formatio voluntatis cum diuina voluntate. Supponit hic fructus præcedentes per quos omnes animæ vires à creatis bonis abductæ in id vnum consentiunt, vt nullâ iam resistente omnes sese facile Deo summo & vero bono coniungant. *Quanquam hæc infima, inquit Augustinus, habeant suas delectationes suosque amores, non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster: in te enim delectatur iustus, quia amor tui suavis est & quietus: nam pectora quæ possides dulcedine, & suauitate, & tranquillitate replet; & contra amor seculi anxius est, & perturbatus, animas certè quas ingreditur quietas esse non patitur.*

semper enim suspicionibus & perturbationibus variisque timoribus sollicitat eas: tu itaque es delectatio rectorum, & merito, quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita, qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium domini sui, & non timebit amplius, sed habebit se optimè in optimo.

DVODECIMVS FRVCTVS.

Zelus animarum.

DVODECIMVS Fructus est amor proximi flagrantissimus, siue zelus animarum, qui per meditationem quamuis etiam in incipientibus inchoetur, non tamen perficitur nisi per me-
me-

ditationem perfectam, scilicet in iis duntaxat qui iam in perfectionis curriculo prouecti sunt: is enim ut plurimum solet ex contemplatione dimanare, idque in iis qui ad proximum iuuandum à Deo vocati sunt. Nec enim fructus hic ab omnibus qui meditationi dant operam colligitur semper, nisi forte quoad affectum. At verò qui ad illud vitæ genus à Deo vocati sunt, in quo non solo affectu proximi salutem optare, sed omnibus modis procurare debent, in ipsâ meditatione sensim à Deo non tantùm eo zelo accenduntur, sed etiam erudiuntur quibus mediis & industriæ præsiidiis, quibus in

M


occasionibus proximum iu-
uare possint, & quomodo a-
ctionem contemplationi cō-
iungere, sic vt actio ex contē-
platione, & meditatione, vt
proprio & vero suo fonte, di-
manet; & ipsa contemplatio
actionem non impediat, sed
perficiat. In hoc consistit per-
fecta Dei & Christi imitatio,
vt incensa Dei amore anima,
sui quasi oblita, vires omnes,
& bona sua, & ipsam etiam
propriam vitam ad maiorem
eius gloriam procurandam
conferat, seque generosè ne-
glectâ molestias omnes vltro
adeat, nullis parcat laborib⁹,
nullis se, vbi res Dei agitur,
subducat periculis, nullas
subterfugiat difficultates. *Hoc*

enim habet vera & casta con- ser. 57
templatio, inquit S. Bernardus, in Cāt.
ut mentem, quam diuino igne
vehementer succenderit, tanto
interdum repleat zelo & deside-
rio acquirendi qui eum similiter
diligant, ut otium contempla-
tionis pro studio predicationis
libentissimè intermittat: & rur-
sum potita votis aliquatenus in
hac parte, tantò ardentius redeat
in idipsum, quātò se fructuosius
intermisisse meminerit.

Mij

CAPVT XX.

De deuotionis defectu.

 OS tantos Fructus impedire solent ex parte voluntatis ariditas, desolatio, & deuotio, ex parte intellectus distractiones, ex parte vtriusque illusiones, diabolici, vel humani spiritus; ex parte corporis somnus & infirmitas.

Atq; vt primùm de impedimentis ex parte voluntatis agamus, & maximè de deuotionis defectu, in quo ipsa deuotionis natura sita sit, imprimis aperiendum est. Deuotio, vt ait D. Thomas, nihil aliud est quàm voluntas quædam

2.2. q. 81
art. 1.

promptè tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, & deuoti sunt propriè ij, qui seiplos quodammodo Deo deuouent, vt ei se totaliter subdant, sicque & Dei gloriam vnicum sibi finem constituent, & ad eum apta idoneaque media deligant. Inter ea autem quæ ad Dei famulatum & gloriam pertinent, primum merito locum tenet oratio, præcipuè mentalis, quæ excellentissimus Dei cultus ipsa est, nobilissimas hominis facultates & actiones in Dei obsequium consecrans, & ad excellentissima virtutum cæterarum opera totum hominem extimulans, vt se toto omnibúsq;

270 DE ORATIONE
suis bonis velut acceptissimo
holocausto diuinam maiesta-
tem excellenter honoret.
Quocirca meritò desiderium
perfectè Deo placendi (quod
à deuotione non discrepat)
ad mentalis orationis exerci-
tium tantoperè necessarium
esse diximus , cùm constet
potissimùm eius vi non mo-
dò omnia orationis impedi-
menta remoueri, sed & com-
parari quæ iuuare eam queūt,
& hominis vires omnes, po-
tentiásque ad hoc opus sedu-
lò applicari. Quare non mi-
rum est, si meditatio ipsa so-
leat languere , quando vel
pridie cùm præparandus est
animus ad orationē, vel post-
ea in ipsâ meditatione , aut

nullus adest, aut remissus tantum feruor, & voluntatis conatus tardior est in bono Dei gloriæ, & desiderando & prosequendo, cuius rei causa omnino duplex esse videtur.

Prima est moralis, quia orationis mentalis donum, est maximum Dei beneficium, tanta autem beneficia Dei non solent dari nisi feruidis. Et sanè id non congrueret satis dignitati amicitiaë & familiaritatis cum Deo, vt tantum bonum tepidis ac vix quidquam agentibus concederetur, sed omnino hæc exigit vt solis iis tribuatur, qui eam, quam par est tanti beneficij æstimationem & concipiunt, & illud ardentissimè optant,

adque illud obtinendum, totis sese viribus disponunt.

Quare videmus sanctos omnes quibus Deus singularem hanc gratiam largitus est, studiosissimos fuisse perfectionis, quamamantissimos puritatis, & in vitâ suâ non minùs feruenter, quàm constanter, mortificationis & virtutum cæterarum exercitiis, excolendâ, exactissimos.

Altera ratio quasi naturalis est, nam cum hoc opus non tantùm sit excellentissimum, sed etiam maximè arduum & difficile, certè totum hominem, eiusque vires omnes & potentias requirit, nec succedere benè potest orationis exercitium, nisi simul omnes

hominis facultates facta veluti conſpiratione toto conatu incumbant, ſiue ad impedimenta tollenda, ſiue ad ipſum operis exercitium ad vltiorem perfectionem promouendum. Vnde ſi quid ſit quod voluntatem & cæteras potentias diſtrahat, minor ſine dubio ex earum conatu orationis perfectio conſurget. Hæc autem virium animi diſtractio, oriri vt plurimum ſolet à variis bonis creatis, quæ voluntatem diuidunt in affectus varios, ac proinde ita diſſipatam reddunt longe debiliorem & minùs capacem ad Deum, bonaque ſpiritualia percipienda. Porrò hi omnes affectus prauæ voluntatis, co-

hiberi non possunt efficaciter, nisi proposito ei longè maiori bono, quale est bonum gloriæ Dei, quod quia infinitum est, atque adeo vnicum & solidum, verùmque bonum voluntatem totam occupat & satiat. Nam vbi illud prout par est æstimat intellectus, & voluntati proponit amplectendum. Hæc abiecto omni alio ad res creatas affectu, eius tantū desiderio tota incenditur, itaq; incensa sese ac cæteras potentias ad eas tantum actiones ardentissimè applicat, quibus plus gloriæ Dei inesse intelligit. Verum enim verò ea est excellentia orationis, vt nulla sit hominis actio, ex qua, si na-

turam rerum spectes, maior in Deum gloria redundare queat. Nam cum in eo consistat Dei gloria, ut à nobis cognoscatur & ametur: (sic enim à seipso æternam, infinitamque gloriam intelligendo se & amando perfectissimè & adæquatè gloriosus Deus accipit) in oratione hic vterque actus excellenter exercetur. Itaque sicut illa increata sui cognitione & amore se ipse Deus glorificat: ita & Deum homo pro suo modulo eum cognoscendo & amando.

Quare in hac vita nulla est dignior hominis occupatio, cum sic ipse Deo similis efficiatur, ex quo fit ut qui in oratione mentali progressus

aliquos facere vult, omninò
debeat primùm magni æsti-
mare, & toto affectu deside-
rare bonum illud Dei gloriæ,
quod in eo cognoscendo, a-
mandoque perfectè consistit.
Deinde totam vitam suam,
actionesque omnes ita com-
ponere, & eo feruore anima-
re, vt tota eius vita nihil aliud
sit quàm holocaustum con-
tinuo igne placendi in omni-
bus Deo, eiusque gloriæ pro-
mouendæ inflammatum, aut
etiam continua vel oratio, vel
certè ad orationem præpara-
tio. Nam sicut vitæ nostræ a-
ctiones media nobis esse de-
bent ad beatam illam & æ-
ternam Dei cognitionem, in
qua noster finis situs est, ob-

tinendam : ita etiam in hac
 vita aliquo modo referri ope-
 ra nostra possunt, & sanè de-
 bent ad hunc finem vt Deum
 cognoscere magis & amare
 per orationem possimus, cum
 in eo sit nostra omnis huius
 vitæ beatitudo, & ad id nos
 omnes in lucem editi fueri-
 mus, creati, redempti, iustifi-
 cati, & quotidianis Spiritus
 Sancti inspirationibus excita-
 ti, gratiisque diuinis adiuti.
 Ad eum igitur scopum sic a-
 nimum & mentem inten-
 dere debemus, vt actiones
 nostræ singulæ sint ad oratio-
 nem præparatio, & in iis ligna
 vt ita dicam colligamus, quæ
 nostræ postea in oratione de-
 uotionis ignem, & excitēt, &

278 DE ORATIONE
foucant, & accendant. Hoc
qui faciunt, implent certè
quod Christus Dominus A-
postolis commēdabat, oportet
semper orare, & optimè
cōtemplationem cum actio-
ne coniungunt. Atque inde
fit vt orationis feruor oratio-
nem admirabili splēdore, ar-
dore, efficaciāque impleat, &
vicissim collectis in oratione
lignis & fomentis, nimirum
Deum cognoscendi, & in vi-
tā quotidianā amandi occa-
sionibus quamplurimis, dum
postea sequitur actio aliqua,
maximèque in proximum
velut illiso ad ferrum saxo ex
oblatā occasione ignis statim
emicet, ardorque ille diuinus
qui in oratione eiusmodi de-

litescebat, excitetur; qui tamen, si maximè talis occasio magnam habuerit difficultatem, numquam exarsisset nisi reperisset illos fomites; id est, nisi præuis iis omnibus in oratione anima disposita fuisset. Quod dum fit, mirū quantum se oratio actioque inuicem iuuent, & in immensum perficiant. Atque hæc est vera solidaq; deuotio, quæ pro obiecto habet verum, solidūque bonum, & ex verâ, solidâque virtute charitatis oritur, quam sicut omnibus modis, vel minuere conatur dæmon, eo præcipuè sine vt ab oratione nos deterreat, vel saltē segnes in eâ tepidósque efficiat, ita totis viribus eam

280 DE ORATIONE
& conseruare & augere debe-
mus, & si eâ forte caremus,
omni sollicitudine quærere,
& in nobis excitare.

Fit autem præcipuè duo-
bus modis, vt vel in nobis pe-
reat, & extingatur deuotio,
vel vigor eius languescat. Pri-
mò quidem simul tota ali-
quando subito subtrahitur,
id quod solet contingere, sæ-
pe quidem Deo permittente
ad probationem & exercitiũ
humilitatis. Sæpius autem
propter aliquod peccatum
etiam veniale, cùm sponte &
deliberatè committitur: est
enim hæc deuotionis gra-
tia maximè delicata & ce-
dit faciliè tali peccato vt po-
te sibi contrario. Nec enim

in voluntate consistere potest desiderium efficax boni gloriae Dei in seipsâ promouendi, cùm eadem ad bonum sese creatum per peccatum veniale adeò inordinatè conuertit: omnis enim ad creaturam inordinata conuersio, à Deo est auersio. Quod ita explicat D. Augustinus. Solil.

Hinc etiam est Domine quod ^{c. 1.} *in te non gaudeo, & tibi non adhaereo; quia ego in exterioribus, tu in interioribus; ego in temporalibus, tu in spiritualibus; ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, locutione implicor, & tu Domine in aeternis habitas, & aeternitas es, &c. Itaque experientia com-*

peritum est, vt qui sibi attendunt, intelligant statim hac se poena à Deo plecti, cum volūtariè aliquam imperfectionē admiserunt, vt subito feruor omnis abscedat, succedant motus inordinati ad propria commoda, honores, otia, quibus se sollicitari sentiunt, aut ad sectandam laxiorem viam, & priora itinera liberioris vitæ repetenda.

Secundò sæpè non ita subito, sed sensim remittit sese feruor omnis deuotionis, adeo vt initio quidem vix percipi possit an aliquid decesserit, nec enim subito irruit tempor, sed quàm occultissimè obrepit. Nam integra quidē exercitia spiritualia, iustaque

quoad substantiam esse finit aliquandiu, sed eorum circumstantias primo impetu cōcutit, & nisi quisque valdè sibi attendat, multis nonnunquam diebus existimat satis benefecum agi, donec paulatim sine sensu priora lumina & affectus minuãtur, & subindè euanescant, sicque modo quodam deleantur ex animo, ut cùm in se reflectit oculos miretur vnde abierint, quomodo elapsa veluti è manibus tanta bona & adeo præstantia lumina & desideria, ad quæ sentit se ægrè postea redire, imò non secùs ac si ex animo omnino oblitterata essent, vix potest benè concipere, quæ & qualia fuerint. Vn-

284 DE ORATIONE
de fit vt inualescente languo-
re, tædio magno spiritualis
vitæ afficiatur, remittat om-
nino conatum & sollicitudi-
nem, studiūque proficien-
di, vix libeat, vel velle tan-
tum quod perfectum est, sic-
que ab excellenti illo feruore
sensim cadens, tandem mira-
tur se delapsū in comunē
vsum viuendi. Nec tunc de-
sunt carnis & naturæ dicta-
mina astutè & solerter sugge-
rentis contentionem animi
tantam esse minuēdam, non
carere indiscretionis pericu-
lo, non ita cæteros agere,
quos tamen & salutis & per-
fectionis suæ percupidos esse
quis dubitare audeat? & id
genus alia, sic à paruis initiis

v. g. omissione alicuius præparationis ad vnam orationē maxima oriuntur damna, nō statim, sed paulatim, nam & ipsa ea oratio, etsi non prorsus inutiliter fiat, tamen aliquid deperdit, & qui deber augescere quotidie profectus spiritualis, eo ipso die si non augetur, minuitur, etiam si vix percipiatur, & deinde segnior nescio quo pacto & negligentior sui animus, ipso vsu, consuetudinēque deceptus, non quidem tam citò deprehendit qualis sit, aut cognoscit suam illam iacturā. Hæc certè non facilè eueniunt ei qui magno animi ardore curat, vt ne minimum quidem defectū admittat, & sibi nulla

in re parcens semetipsum etiam continuò in benefactis arguit & accusat ob omissionem cuiuscumque feruoris, cuius esset capax, & ita Dei gloriæ magis ac magis seruire potuisset, qui certè fuit Sanctorum omnium spiritus. Verùm quia valdè difficile est sibi continuò attendere, & tantam animi contentionē adhibere in omnibus, idcirco in spirituali vitâ solet esse varietas, & vicissitudo feruoris & languoris, qui tamen serio suo profectui student vbi sese deprehendunt læguescere, & ad pristinam laxitatem & sensum licentiam, animique remissionem impelli, non diu in eo se statu patiuntur esse,

sed quamcitissimè possunt re-
ducere se conantur ad spiri-
tus feruorem, quem in finem
media inutilia non erunt, quæ
sequenti capite prosequemur.

CAPVT XXI.

Remedia contra ariditatem.

RIMÒ igitur quo-
tiescumq; sentit quis
auersionem illam a-
nimi à perfectionis studio, &
sollicitari se ad pristinas cor-
dis sui vias repetendas, & ra-
dio vitæ spiritualis affici, sic vt
vix libeat orare, aut vllum a-
liud bonum velle, quam de-
solationem spiritualem voca-
mus, caueat ne vel ea animi

remissione victus, vel tristitia
& mœrore deiectus, aliquid
agat aut omittat ex illa pas-
sione, & non ex ratione &
consilio. Sustineat igitur se-
ipsum non nihil, & statum in
quo est agnoscat, deinde suã
infirmitatem, inconstantiam,
miseriam, periculum, adeo-
que quàm nihil sit, habeat,
aut valeat sine Deo, & quàm
illi parùm cooperetur, aut
quàm imperfectè & indignè
seruiat, consideret, conetur-
que concipere horrorem sui
illius status, sic vt velit statim
& sine mora sese ab eo libe-
rare, quantum in seipso erit.
Quare cauēda demonis fraus
qui vbi in indeuotionē præ-
cipitauit, conatur auertere
om-

omnem cogitationem nostrā
& voluntatem à serio deside-
rio resiliendi ab illa, & nos in
eo statu detinet ad vnum,
duos, tres, quatuor, octo dies,
quos postea miramur efflu-
xisse inutiliter, cū potuisse-
mus statim ab initio, imò eo
ipso momento quo tepor ille
nos inuasit, perinde illum ex-
cutere, ac postea tot diebus
in eo languore consumptis.
Nam si bene quis status il-
lius sui miseriam sentiat, quid
erit cur differat, ac non inci-
piat generosè in meliorem se
statum reducere, & eo ipso
momento præstare quod vi-
det, atque etiam decernit sibi
esse necessariò faciēdum post
aliquot dies?

Secundò iuuabit plurimũ
vt pristinam mentis serenita-
tem recuperes , rimari pro-
fundè & scrutari cor tuum, &
vel tenuissimas labes , imper-
fectionésque tuas inde velut
erutas, vnum sub aspectũ po-
nere, sinceréque coram Deo
fateri, & te accusare. Etenim
sanctos experientia docuit ni-
hil ita impedire Dei sensum,
quàm cùm excusamus nos ip-
sos, & nobis velut obtegimus
nostros defectus, quod solet
esse signum durioris animi.
Itaque non facilè spiritualis
consolationis rore terra hæc
arida, saxeáque perfundi so-
let. Primus enim sensus deuo-
tionis compunctio est, quæ
exintima sui & suorum defe-

ctū cognitione oritur. Quare vbi se homo videt priuatū cælesti illa & diuina dulcedine, eius rei causam ex cōsilio Climaci inquirat. *Quoties, inquit, anima seipsam prodiderit, calorēque illum amabilem ac beatissimum amiserit, inquirat diligenter qua ex causa id sibi contigerit, ac aduersus illam bellum omne ac studium summis viribus resumat, neque enim per aliam portam poterit illum reuocare, nisi per quam egressus est. Conetur igitur sibi persuadere suam indignitatem, teporem, negligentiam, animi dissolutionem in causa esse, suāsque imperfectiones in particulari cognoscat & diiudicet, quasilibet*

gradu
28.

292 DE ORATIONE
magnificiando, & si occasio
ferat, confessionem sacramen-
talem instituat, quam pluri-
mum ad hunc finem posse
experientia notum est, vel cor-
rā Deo omnes illas singillatim
recensens, & de iis sese accu-
sans & condemnans non se-
cūs ac si confessionem face-
ret, humillimè veniam petat,
quod si nulla peccati labes a-
nimo occurrat, id quod non
videtur posse accidere, tamen
vel inde suam cæcitatē & in-
sensibilitatem Deo aperiens
agnoscat, sibi que persuadeat
se merito & propter antiquos
defectus, & occultos pluri-
mos priuari à Deo tanto bo-
no & desolationum acu-
tissimis spinis configi. Itaque

humiliter etiam veniam petat, & ipsemet hac se poena puniat, ut quoniam ita meritus est, carere velit omni gustu pietatis, si ea sit Dei voluntas, ut iuste hæc patiēdo maiestatem eius glorificet, & iustitiam magnificet, cum se æterna desolatione dignum agnoscat.

Tertio hæc si accuratè faciat, fieri vix poterit, quin redeat animi serenitas, lux & feruor spiritus. Solet tamen aliquando differre Deus, ut hoc quasi flagello nos corripiens, non solum ad actuales imperfectiones, sed etiam ad quosdam habituales affectus occultissimè voluntati nostræ inhærentes, & agnoscendos,

æstimandósq; prout par est;
& euellendos, inducat atque
extimulet. Nam non om-
nes qui se actualibus peccatis
euacuant, coram Deo effica-
citer statim accinguntur ad
eorum fibras & radices extir-
pandas. Vnde fit vt redeunte
statim spirituali gustu, obli-
uiscantur pristini status, & re-
missa vigilantia & cura sui,
animique attentione facilius
in eisdem defectus relaban-
tur, sicque iterum in tepescant.
Atque hinc maximè oriri so-
let inconstantia in vita spiri-
tuali. Quare Deus profectus
uostri amantissimus, differt
aliquando sese nobis reddere,
vt acriori examine adhibito
deprehendamus causas ipsas

imperfectionū, & incitemur pleno eas vt conatu resece-
 mus: verus enim cōsolationis
 fons est purissimū desideriū,
 & sincerissima intētio gloriæ
 Dei: in hunc, cūm desideria
 proprij, vel creati cuiusque
 boni influunt, ex fonte lutulē-
 to amoris proprij, liquida illa
 iucunditas turbatur illico: fōs
 ergo ille exsiccandus est. Cer-
 tē experimur sæpē desolatio-
 nationem & auersionem à
 spirituali profectu sequi ali-
 quam effusionem animi in
 externa bona non tantūm
 corporis, sed etiam animi, vt
 recreationes, laudes homi-
 num, occupationes etiam
 honestas, vt studiorum & si-
 miles: etsi enim valdè ratio-

N iij

nabiliter vel admittere hæc bona aliquando, vel profequi possimus, tamen cum illa ipsa actu possidemus, nescio quo modo solet dissipari interior deuotio, mollescere animus, remitti feruor, & conatus omnis, rediréque difficiliùs ad consuetum feruorẽ: id quod fit ideo quia pro nostrâ corruptione vix vllam rē creatam attingere possumus, quin cor nostrum ei adhærescat, & affectus aliquis inordinatus relinquatur in voluntate nondum satis mortificatâ, nec satis benè vtente his bonis, nec ab vnico gloriæ Dei affectu penitùs possessa. Ergo opus est vigilantia & mortificatione constante, quam cum

videt Deus serio nos adhibere, & conari pro viribus in rerum terrenarum, & non malarum vsu, etiam indifferente, nihil prorsus querere boni proprii, tum infinita eius eius bonitas puri illius amoris fontem qui in nobis est, clausum amplius tenere non potest, sed reserat, ex quo statim largissima caelestis consolationis copia exundat. Gratia enim Spiritus sancti iustis omnibus inhærens fons est aquæ viuæ iugiter, quantum est in se, scaturientis, semperque in vitam æternam exsurgentis. Nam vt ait Theophylactus gratia Spiritus sancti efficit, vt anima semper ad bonum moueatur, nouos sem-

298 DE ORATIONE

per disponens gradus quibus ascendat, ac denique, nisi prauitate nostra fontis illius cursus interrumpatur, flumina de ventre fluunt, id est ex corde (quod ut Gregorius Nyssenus interpretatur) animæ venter est, lætitia spiritualis vberissima fluit, cuius impetus totam animam ciuitatem Dei lætificat, ut ibidem explicat Basilius. Itaque videmus omnes Sãctos qui laboribus magnis & mortificationibus sibi mortui, & quasi sui obliti, gloriam Dei promouere studuerunt, iugi spiritualium deliciarum, & diuinæ voluptatis torrente fuisse potatos.

Quartò quod ex eo sequitur iuuabit plurimum, non-

Hom.
14. in
Cant.

nunquã cùm perseuerat desolatio, si quis aliquam extraordinariam, moderatam tamen, mortificationem suscipiat, siue vt defectus & peccata puniat, eóq; modo Deũ, iusta subtractione gratiæ deuotionis & consolationis, castigantem quodammodo adiuuet & glorificet, siue vt amorem sui comprimat, siue denique vt impetret à Deo constantiam, simúlq; ostendat reipsa se quamuis à Deo repelli videatur, idque meritò, velle tamen quocumque malo suo hoc consequi, vt ei vni adhærere, & quammaximè placere possit. Experientia enim constat, quod cùm deiecti & prostrati tædio om-

300 DE ORATIONE
nis boni videmur, si tamen
strenuè pugnemus cōtra de-
folationem aliqua mortifica-
tione cum nostra despicien-
tia, redeunte illicò Dei visi-
tatione mirum in modum in-
flammetur voluntas. Cauen-
dum tamen ne id nobis attri-
buamus, certè singulare est
Dei beneficium, cū in eo
statu per mortificationes cō-
tra nos ipsos insurgimus. Ita-
que tantam Dei gratiam a-
gnosceret, & de ea gratias hu-
militer agere debemus.

Quintò nihil certè ita gra-
tiam deuotionis impedit, vt
malus illius vsus, qui vel à su-
perba sui æstimatione & va-
nitate, vel à negligentia ori-
tur. Deus enim huius gratiæ

MENTALI. 301
author effusissimè sese com-
municare vellet omnibus, id-
que perenniter, sed nos flu-
xum tanti boni impedimus,
cùm vel nostra superbia &
vanitate inde insolescimus:
nósque pluris facimus quàm
par sit, vnde prorsus nos hu-
miliare & abiicere debere-
mus; vel nostra negligentia
tantos Spiritus sancti motus
abire inutiliter patimur, ex
illisque solùm sensibilem cõ-
solationem retinemus, soli-
dos autem & verissimos eius
fructus qui sunt mortificatio
passionum, feruor spiritus,
procuratio gloriæ Dei, virtu-
tum omnium exercitia, & si-
miles non intendimus, vel
non multùm curamus, &

quod deterius est, donis Dei & gratiis in perniciem nostrã & eius offensionem abutimur, intumescens superbia ob pios motus, obcæcati eo lumine, quod ad veritatem infirmitatis & malitiæ nostræ cognoscendam, & verum eius partum humilitatem comparandam, nobis à Deo concessum fuerat. Itaque agnoscat errorem suum qui tantã gratiã destituitur humilitatis, & serio proposito in posterum Sancti spiritus gratiis vtendi, meliùs sese disponat.

Sextò profuit nonnullis in desolatione adire templum, & coram Sanctissimo Sacramento effundere cor suum cum viuã fide, reuerentiã, hu-

militate & fiducia, est enim
 ibi fons perennis deuotionis,
 ibi petra illa est ex qua iuges
 scaturiunt diuinarum gratia-
 rum aquæ, fons ibi lucis ac
 thronus Dei, ex quo proce-
 dūt fulgura, & voces, & toni-
 trua, quibus anima, modo sit
 diuini sensus capax, nō potest
 non illustrari, & magnos pie-
 tatis sensus concipere. Aliis
 utile fuit, ita se comparare ac
 si reipsâ cōmunicare vellent.
 Itaque parāt se ad confessio-
 nem recēfendo in particulari
 sua peccata, & ea saltem corā
 Deo confitendo singillatim,
 in Sacro vero spiritualiter cō-
 municant. Id quod qui quoti-
 die faciunt vix deuotione vn-
 quam carent, quod si iunga-

tur noua sui oblatio, & votorum renouatio cum aliqua præparatione, efficax certè est ad recuperandam deuotionem, nam sic pactum cum Deo initum præfenti dispositione, si quo modo languescat redintegratur. Quare Deus ex sua parte solet, cum nos illi tradimus, vicissim nobis spiritus alacritatè, & ineffabilem deuotionis sensum largiri.

Septimò alios iuuat recurrere ad Beatam Virginem, aut Angelum custodem, aut extraordinariè vacare orationi etiam breuiori, vel lectioni spiritali libelli alicuius pij, qualis est de imitatione Christi.

Octauò nonnullis vtile fuit statim ingruente tristitia, aut tædio spirituali adire superiorem, & exponere illi ipsam desolationem, cogitationes varias, & sollicitationes ad remissionem animi & laxitatē, & imperfectiones has vel illas in particulari, totūmq̃ illi cor aperire.

Nonò denique humilis patientia animę Deum expectantis, cum integrâ sui resignatione, ac velut inter crucifixi manus & brachia sua omnia proicientis, suique despicientiâ, & rerum omnium vitæque præsentis contemptu, vt fiat de se & in se, quod pro Dei voluntate ad maiorem eius gloriam

306 DE ORATIONE
fuerit, breuissima, certissima,
& maximè secura est via ad
deuotionem ; si præcipuè
Deum patienter expectando,
constanter ea quocumque
tandem modo obseruemus,
quæ proposuimus, nec à soli-
dis piis nostris Exercitiis a-
uocari nos patiamur. Atque
hactenùs de impedimentis o-
rationis ex parte voluntatis.

CAPVT XXII.

De distractionibus.

ALTERVM genus im-
pedimenti, quod ex
parte intellectus ori-
tur, sunt distractiones, illæ
verò omnes proueniunt in o-

ratione ex defectu conuenientis potentiarum, quæ huic exercitio deseruiunt, ad obiectum siue materiam applicationis. Is autem defectus applicationis debet procedere ex potentia ipsa aut applicante, aut applicata. Applicans potentia est voluntas quæ pro imperio utitur aliis potentiis & se, illasque ad suum obiectum singulas applicat. Id autem eo efficacius agit, quo afficitur melius ad ipsum obiectum, eiusque considerationem. Quare quæ talẽ affectũ voluntatis minuunt, ea solent illam valde impedire, ne efficaciter aliis potentiis imperet, vt contra promouere quæcumque de-

hom.
24. in
7. Mat.

fiderium illud incendunt: sic enim explicat Chrysoftomus illud Matthæi, *Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: Siquidem, inquit, ille qui quærit aliquid, cuncta profecto alia, mente proiiciens, vnum intendit illud quod solum requirit, ac presentium rerum nihil omnino considerat: cum verò dicit, pulsate, vehementer accendi, & ardere prorsus mente precipit.*

Porrò tria sunt, quæ vt plurimum desiderium istud restringunt. Primum est peccatum tum actuale & præsens, tum præteritum seu habituale. Nam omne peccatum excludit cæleste lumen, & obstat Dei gratiæ, huic e-

xercitio adeo necessarię, præcipuè si actuale sit vt patet; etsi autem præteritum sit, tamen fieri non potest quin remordeat, & ita voluntatem auertat, eamque lentiolem reddat, & timidiorẽ vt confidenter Deo seruiat. Et verò experti sunt viri sancti, se, minimi etiam peccati conscientia, valde retardari solitos à perfecta cum Deo communicatione, qui enim se à Deo alienũ intelligit, nescio quomodo retrahi se sentit ab oratione, & Dei offensi vultum, præsentiamque reformidare, nisi prius quidquid in animo residebat euomuerit, humilique veniæ petitione Deo pro offensis etiam

venialibus satisfecerit. Vnde & iustus in principio orationis accusator est sui.

Secundum est affectus aliquis minùs ordinatus, etiam si fortè videatur à culpa immunis, qualis est amor sui, horror difficultatum quæ in oratione solent occurrere, & quarundam passionum libertas nimia: nam hæc vel arguunt voluntatem alienis affectibus plus æquo indulgere, & proinde minus affici ad ea quæ Dei sunt, vel cùm intimè in ea resideant, semper parata sunt, vt cùm ad orandum applicare voluerit cæteras potentias, factò velut agmine irruant, & voluntatem aliò auertāt. Vnde fit vt longè len-

tiùs potentias illas vrgeat. Quare qui sui nimium est amans, exempli causa, cùm orandum est, ab illo inordinato affectu, sæpè sollicitari potest, vt molestias illas deuitet, seseque ad alia transferat iucundiora. Magna igitur omnino puritas mentis, & mortificatio ei necessaria est, qui vt par est orationi vult vacare.

Tertiũ est sollicitudo quæuis anxia circa rem bonam, vt studia si illa sint nimia, mordet enim hæc cura, & vellicat continuò voluntatem, adeò vt inquieta valde reddatur, & potentias cæteras à materia meditationis retrahat, vt eas ad id de quo

sollicita est applicet. Hæc verò sollicitudo vt plurimum ex inordinato affectu prouenit, etsi videatur aliquando ex ordinato oriri, & officij ratione exigij, sæpe enim propria voluntas sub officij ratione tegitur, & inordinati affectus diuinæ voluntatis & gloriæ prætextus induunt.

Quare magnam animi libertatem, cordisque spoliationem oratio requirit, vt exutus scilicet ab omni terreno affectu animus, liberè ad diuinarum rerum contemplationem aduolet. Has distractionum causas bene describit Gregorius, *Dens*, inquit, *menti nostra terrenis voluptatibus assueta, curarum suarum phan-*

lib. 28.
moral.
cap. 9.

*phantasmata iusto iudicio obii-
cit, quibus eam in ipsa oratio-
nis sue intentione confundit,
& quam desideriis infirmis de-
ditam non ignorat, rectè caca-
tam ab intuenda lucis sue per-
spicuitate reuerberat, ut cùm in
Deum intenditur, ipso cogita-
tionum suarum nubilo ab eo re-
flectatur, & quae terrena haec
assiduè cogitat, quia vult, haec
etiam toleret in oratione cùm
non vult. Atque ex his appa-
ret voluntatem reddi langui-
diorem ad applicandas ad
meditationē potentias, cùm
patitur defectum deuotionis.*

Non satis est autem ut vo-
luntas ab omnibus hisce im-
pedimentis possit se totam
transferre in Deum, & cæte.

ras potentias applicare, licet id sit potissimum, sed in ipsis potentiis nulla debet esse resistentia. Fit enim sæpe ut voluntas optimè sit disposita, & tota vi imperet cæteris facultatibus, illæ tamen ob difficultates multas non obsequantur: & quia aduersa hæc reliquarum potentiarum affectio & repugnantia, distractionum præcipua, & magis communis causa est. Libet hic præcipuas annotare difficultates, quæ facultates alias ad orationem concurrentes, tardiores ad voluntatis imperium exequendum efficiunt. Præcipua potentia quæ ad meditandum applicatur, est intellectus, qui quidem

duplicem difficultatem pati potest.

Prima est vniuersalis, ori-
túrque ex ipsa natura super-
naturalium fidei mysteriorũ,
quæ solent esse materia me-
ditationis; fertur certè natu-
ra suâ intellectus in verum, &
quo plus inest solidæ verita-
tis in aliquo obiecto, eo faci-
lius applicari ad illud & circa
illud occupari potest, omnes
enim naturaliter scire deside-
ramus. Verùm licet ea fidei
mysteria verissima & super
omnem humanam certitudi-
nem certissima, sint aptissi-
mum intellectus humani pa-
bulum, tamen quia sunt su-
pernaturalia, nec sensu vllò
aut scientiâ, euidentiq̃ue ali-

qua cognitione percipi in se
possunt, sed in alio attestante
& extrinsecâ reuelantis au-
thoritate & veluti in abstra-
cto, atque adeo necessario
sint obscura; hinc fit vt non
ita, initio præcipuè, intelle-
ctum sensibus maximè addi-
ctum, ad se inuident vel deti-
neant. Quare potest facilè
ab illis dimoueri, & transire
ad euidentem, clarâmq;ue
aliarum rerum consideratio-
nem, nisi voluntatis imperiũ
& pius erga Deum affectus,
validè continuò eum vrgeat,
qui ad determinãdum illum
applicandũque requiritur,
efficitq; vt postea dum eum-
dem studiosè applicat, & in
fidei actibus exercet, animus

facilitatem nescio quam, & voluptatem incredibilem in assensibus fidei percipiat, & certè experiētiâ cōstat quod sicut fidei assensus ex pio illo affectu voluntatis elicitus, longè excedit & certitudine, & firmitate omnem aliam intellectus cognitionem, sic etiam meditationis discursus ex firmo fidei principio elicitus, accedente illo pietatis affectu, intellectum efficacius occupat, solidiùsq; delectat, quam quæuis alia humana demonstratio quantumuis euidētissima, adeò vt licet initio, ex parte difficilior videatur meditatio, quia intellectus vires transcendit obiecti altitudo, tamen cū quis

affuevit intellectum captiuare in obedientiam fidei, non tantum tollatur ea difficultas, sed facilitas omnino magna nascatur, & abunde ipsam euidentiam, compenset certitudo veritatis. Quare non raro viros sanctos legimus incredibili & facilitate & voluptate dies, noctesque in oratione transigisse; Quod non putandum ex eo solum contigisse, quod eorum voluntas pie esset erga Deum affecta, sed ex eo etiam quod eorum intellectus a pio illo affectu excitatus, & vtiliter & plene & iucunde se in meditatione occuparet.

Secunda difficultas, particularis est, quando nempe

aliquis nō satis intelligit quid meditari debeat, cui incommodo, diligens occurrit rei meditandæ præparatio, quæ ad hoc etiam se extendit, vt literalem materiæ sensum benè & perfectè capiamus, alioquin voluntas etiam optimè affecta non poterit efficaciter intellectum ad meditandum applicare, & hinc oriuntur multæ incipientium distractiones: vnum vero in hac applicatione cauendum est, ne intellectus in pura speculatione consistat, quod facilè vsu venire solet, tum ob naturale sciendi desiderium, tum ob eas opportunitates quas doctrina speculatiua, ad gloriã & nominis celebritatem ad-

320 DE ORATIONE
ferre solet, & verò etiam ob
ea præsidia, quæ ad alios in sa-
lute animæ iuuandos, ex opi-
nione hominum suppeditat.
Nam cum fructus orationis
Mentalis, id est pij illi volun-
tatis affectus, spirituales sint,
& parū noti præsertim inex-
pertis, hi sæpe circa initia iu-
dicant penè inutile sibi esse,
tam accuratè & laboriosè va-
care meditationi, cuius fru-
ctus omnino interni sunt, &
occulti hominibus, & illis exi-
gui videntur, vnde cum medi-
tationi vacandum est, ægrè
se ad affectus & praxim ap-
plicant.

Atque apparet ex his, quæ
fit ratio, cur in studiis, maxi-
mè grauioribus, attentiores

esse soleamus quàm in oratione. Nam vt nihil dicam de orationis arduo negotio, quæ Dei quoddam opus est, ab eius influxu singulari pendens, nihil de dæmonis importunitate qui eam semper turbare conatur, certè vel naturaliter intellectus refugit quodammodo obiecta tam obscura sibi, tanquam à se remota, voluntas verò fructus quorum nondum suauitatem planè degustauit, non prosequitur pleno affectu; in studiis verò pascitur intellectus, aliquâ saltem euidentiâ veritatum, quas suscipit apprehendere, & voluntas boni sensibilis, opû, gloriæ & nominis celebritatis, quod ex vsu talis scientiæ

emanare existimat, desiderio capta, ipsum intellectum fortiter & constanter eiusmodi speculatiuis obiectis tenet alligatum.

Auget hanc vtramque difficultatē, priorem præcipuè, naturalis dependētia intellectus ab imaginatione, quæ est secunda potentia, à voluntate ad obiectū meditationis applicanda. Hæc enim cū res spirituales non attingat, & ab affectu inferiori moueatur, nec voluntati ad nutum pareat, valdè difficulter & applicari & retineri potest, vt intelligendi facultati prout debet inseruiat. Quare inuentum est ideo vtrumque præiudicium, imò & ideo præci-

puè præparatio pridie neces-
 saria est, iis præsertim, qui stu-
 diis aut aliis rebus, quæ ma-
 gnam imaginationis applica-
 tionem requirunt, vacant, vt
 auelli inde suauiter maturè il-
 la queat, & applicari rei me-
 ditandæ, alioquin importunè
 regerit ea quibus imbuta est,
 quæque ei conformia magis
 sunt, quã spiritualia, quod si
 inter-meditandum vis illa no-
 stræ imaginationis, & natu-
 ralis in objecta sibi familiaria
 euagatio, aliquid molestiæ
 adferat, nullis aliis remediis
 magis compesci solet, quàm
 illis ipsis, quibus ipsa præpa-
 ratio constat, loci nimirum &
 personarũ, totiúsq; rei gestæ
 præsentatione, Dei præsen-

tis, & in nos intendentis oculos, consideratione, veniæ pro admissa culpâ, & nouæ gratiæ petitione.

Quibus porro natura leuior est & instabilior, ij, si viri orationis euadere velint, laborare magis debent. Nam eos non nisi totius vitæ ordinata & cōstanti compositione, continuâ sensus mortificatione, omnis vanitatis, sermocinationū inanium, otiosorum verborum, scurrilitatis & leuitatis fuga, iuuari posse, constat. Deseruit & meditationi corpus, eiusque dispositio ad hoc opus, si sit conueniens, iuuat aduersus distractiones. Talis autem in vniuersum esse debet, quæ ex-

terno ipso habitu & compositione, siue totius corporis, siue oculorum, siue manuum aut capitis, internam ipsam animi attentionem & deuotionem, reuerentiámque excitet & promoueat, prout quisque expertus est.

Porro naturalis corporis & capitis dispositio, valetudinis firmitas aut infirmitas, quam variam experimur, multùm etiam variare solet meditationis vsum. Nam quandoque adeo bene dispositi, firmóque capite sumus, vt nihil in meditando difficultatis experiamur, nonnunquam ita debiles vt non possimus ad res nobis propositas attendere, aliquando etiam sine vlló dolo-

326 DE ORATIONE
ris aut debilitatis sensu, vel
occasione vllâ extrinsecâ, va-
gatur leuiter & errat animus,
vt nō nisi valdè difficulter co-
hiberi queat. Has igitur va-
rias dispositiones notare in se
quisque debet, & cū medi-
tatur, subinde reflectere ani-
mū, & cogitare quæ sit ea di-
spositio, quam tunc experi-
tur, hoc autem ei proderit,
tum ne animum facilè abii-
ciat, tum vt media facilius
inueniat, quibus sese in hâc
vel illâ dispositione iuuare
possit, nec enim generales hac
de re præceptiones dari pos-
sunt, hac vnâ exceptâ, vt in
tali dispositione caueatur ac-
curatè, ne nimio conatu vis
inferatur capiti, nec enim si-

ne graui periculo id fieri potest, nec Deus illum conatum requirit, sed potiùs suauissimus eius spiritus, leuem, instabilémque nostram naturã demulcere solet, vt quiescat & sese Deo gubernandã permittat, tuncque humilitate potius, matre tranquillitatis opus est & sui demissione, coram Dei maiestate, vt hunc saltem fructum feramus ex oratione, & intelligamus quã parùm, imò quàm nihil sine diuino auxilio possimus.

Verùm vñdecumque proueniant distractiones, cauendum est diligenter ne sint voluntariæ, quod præcipuè pendet ex ipsa mentis applicatione initio orationis factâ. Nã

inuoluntariæ sunt, quando inchoata est meditatio, cum voluntate & intentione, non admittendi vllam toto tempore, modò ea intentio perseueret, nec per vllum actum contrarium reuocetur; censetur autem reuocari, quando quis videns animum aliò distractum, pergit in eâ alienâ cogitatione, tunc enim mutat prius propositum & intentionem. Hæc porrò intentio quæ initio adesse debet impediendi distractiones, censetur tunc vera, quando media debita ad hoc adhibet, inter quæ, præcipuū est, præparatio diligens ad orationem, & auersio omnium obiectorum quæ solent men-

tis euagationi proximas occasiones subministrare. Si enim vel pleno aliis cogitationibus animo, vel fracto speculationibus capite, accedas ad orationē, sine alia præparatione & quiete, ortæ inde distractiones, erunt voluntariæ, licet videaris eas te nolle habere. Nam causam illis voluntariè, & quasi materiam subiecisti, secus est quando occasiones sunt remotæ, ut quando post studium fesso capite, & exhaustis viribus bene te & diligenter paras, tunc enim non sunt voluntariæ distractiones, nisi eas iterum admittas, cunctante voluntatis proposito, quod facile fit, licet multum impe-

330 DE ORATIONE
diant, & suauitatem & fructum orationis mentalis, vt ex se patet. Vnde conficitur, hoc vnum esse aduersus distractiones, efficax remediũ, si benè pares tum materiam, tum mentem tuam, excitando in te ardens desiderium excellenter colendi Deum, & tota te mente ad eum conuertendo, si præsertim hoc desiderium, & firmam voluntatis intentionem renoues, quoties alienæ cogitationes mentem subeunt, vndecumque tandem illæ proueniãt. Nam affectus ille erga Deum, si constans sit, & sensuum omnium, & imaginationis, & sollicitudinũ externarum inquietos motus sedabit, & om-

nes hominis vires in id vnum quod agit, colliget, annuet sensibus vt claudantur, obsecundabunt; imperabit imaginationi & intellectui de materia proposita tantum vt cogitent, obtemperabunt. Denique inueniet ille idem, ipso vsu & experiētia rationes varias, quibus vtiliter & animi euagationem, & sensuum impetum, & obiectorum sese familiariū insinuantium licentiam frænare possit.

Ex his patet pro varia meditantium dispositione, & potentiarum applicatione ad hoc opus, variam esse in meditatione attentionem singulorum. Nam primò quorundam meditatio ita est languis-

da, vt quando voluntas nullo
 sensibili gustu afficitur, re-
 mittat omnem conatum, sen-
 sibus & imaginationi habe-
 nas laxet, potestatemque e-
 uagandi faciat; vnde natu-
 rals affectus nondum satis
 edomiti irruunt, quibus vel
 toto tempore, vel maiori ex
 parte miserè occupantur, &
 talis esse solet imperfectorum
 meditatio, præcipuè quan-
 do destituuntur sensibili de-
 uotione: tunc enim domi-
 nante appetitu inferiori, ne-
 cesse est eius affectus, in ra-
 tionem, voluntatemq; & prin-
 cipatū obtinere, & iniquum
 imperium exercere.

Alij etiam idem experiun-
 tur, quia vel dum se pararunt,

negligentiâ, vel circa res spirituales, & diuini obsequij studium, tædio, vel in pugnâ contra difficultates quæ meditando occurrunt, animi abiectione, vinci se ac frâgi permiserunt, vnde postea contingit, vt debilitato, per passionum victoriam, animi robore, molles abeant in pristinas cordis sui vias, oblitici propositorũ quæ prius cõstituerant, cùm cõsolatione diuinâ fouerẽtur: prouenit hæc tanta remissio sæpissimè ex inani persuasione, quæ se illi sine fructu & otiosè meditari arbitrantur, quando nullo afficiũtur sensibili affectu deuotionis, cùm tamen maximus orationis Mentalis fructus in

334 DE ORATIONE
eo sit positus, cum vel institu-
ta piæ voluntatis proposita,
renitente etiam appetitu in-
feriore, inuiolabiter custodi-
mus, vel sola iudicia practi-
ca, aut simplicem fidei actum
exercemus, vel affectum ali-
quem Deum colendi, corpo-
ris etiam solius præsentia &
deuotâ compositione, arido
licet animo, protestamur. Se-
cundò in nonnullis, tanta est
imaginationis inconstantia,
& nondum assuetæ rebus di-
uinis mentis instabilitas, vt
licet voluntas nihil remittat
de proposito & affectu Deū
colendi per orationem, ab-
ripiantur tamen frequenter,
& variis euagationibus tur-
bentur: non tamen sine a-

liqua culpa, nam solent esse in illis reprimendis negligentes & remissi, non quod animum abiiciant, & vt priores se vi distractionum agi permittant, sed quia cum sæpè impugnètur, difficile est, eam continuò animi contentionē sustinere: hæc autem difficultas, tollitur ipso vsu & animi magnitudine, propositóque generoso attendendi, & vires omnes ac conatus animi in meditationem conferendi.

Tertiò quidam patiuntur difficultatem, non ab imaginatione, sed ab ipso intellectu, minùs ad praxim accódato & ad pios affectus focūdo. Vnde fit vt licet plurimùm discurrant in materia

336 DE ORATIONE
sibi propositâ, nec extra rem
vagentur, tamen non ita fa-
cilè ad vsum, praximque de-
scendant, nec sibi applicent
quæ meditati sunt, vnde ni-
hil ab intellectu ad volunta-
tem transit, nisi fortè aliquã-
do delectatio quædam varia,
ob pulchros discursus & con-
ceptus spirituales excogita-
tos, ex qua plurimũ nascitur
periculosa sui æstimatio &
occulta superbia. His verò,
sunt variæ illusiones pluri-
mũ timendæ, solet enim
dæmon, vt voluntas eorum
arida semper maneat, iniecto
prætextu charitatis, discursum
ad alios iuuandos callidè
detorquere.

Quartò denique quidam
non

non patiuntur ordinariè difficultates, sed siue absit sensibilis deuotio, siue adsit, vbi tempus aduenit totos se trāsferunt ad meditationem, & ita se ad id quod agunt, applicant, vt raras habeant distractiones, easque planè inuoluntarias & breuissimas, quas vbi aduertunt ingenti dolore afficiuntur: nam valdè eas horrent, & toto animo vitare desiderant, & si quæ adueniant statim eas deprehēdūt, & deinde se faciliùs reducunt in Deum: sed id euenire non potest, nisi vel ex longo vsu & exercitio meditandi, vel ex serio feruētique affectu Deo placendi, quo fit vt breui etiā tempore plurimi eam facili-

338 DE ORATIONE
tatem acquirant, suavi illo
efficacique Deo placendi de-
siderio obiectas difficultatū
moles perrumpente.

CAPVT XXIII.

*De illusionibus quæ circa prepa-
rationem meditationis e-
ueniunt.*

TANTIS meditationis
fructibus tertium im-
pedimentum afferūt
illusiones variæ. Harum prin-
cipium duplex est. Extrinse-
cum vnum dæmon, aliud
intrinsecum natura nostra,
quod vtrumque mille nos
modis decipit, & partim in-
tellectū falsis discursibus ve-

ri tantum speciem præ se ferentibus, partim voluntatem veri boni prætextu in fraudē inducit. Et quamquam multitudine sint innumerabiles, in eo tamen illusiones omnes conueniunt, quod voluntas nostra ab unico bono gloriæ Dei prosequendo dolosè auertitur, naturâ, vel dæmone, vel utroque ad proprium, humanum, & particulare bonum prosequendum, vel malum fugiendum incitante. Itaque illusiones omnes actus sunt præcipuè voluntatis quibus amat, odio habet, desiderat & refugit, gaudet aut tristatur, timet, sperat, præsumit, & similiter afficitur: qui tamen omnes actus supponunt

340 DE ORATIONE
errorem saltem practicum in
intellectu. Quare vnica regu-
la rectissima, tutissima, ge-
neralissima, ad eas omnes
tùm discernendas, tum diu-
dicandas, tum superandas de-
sumenda est ex obiecto vo-
luntatis & actuum eius præ-
dictorum: obiectum verò vo-
luntatis, quod per actus suos
prosequitur, est bonum, cui
contrarium malum fugit at-
que horret. Bonum verò quã-
tum ad præsens negotium at-
tinet, triplex potest distingui.
Nam voluntas ferri potest a-
liquando in bonum extrinse-
cum Dei eius nimirum glo-
riam: aliquando in bonum
proprium honestum gratiæ
& gloriæ. Denique sæpe in

bonum indifferens, quod solet esse commodum, vel delectabile naturæ : similiter autem refugit aliquando malū quod est contra Dei gloriam, aliquando proprium malum culpæ, aliquando malum indifferens. Hæc porrò bona & mala variè inter se commiscuntur. Nam bonum gloriæ Dei semper habet adiūctum bonum nostrum & gratiæ & gloriæ, & contra bonum gratiæ & gloriæ propriæ, bonum est gloriæ Dei. At sæpè vtrumque bonum & gloriæ Dei & nostrum coniunctum est cum malo indifferenti, & afflictione propriâ: imò solet esse maius quo dolor & pœna maior fuerit. Contra verò

malū Dei & culpæ ferè semper adiūctam habet aliquam rationem boni indifferentis, quod cū vt plurimū sit delectabile, fortiū voluntatem trahit, quā contrarium malum Dei & animę auertat. Ergo omnis illusio quę homini contingit ex eo, oritur quod intellectus non satis perspicaciter voluntati detegat veram cuiusque obiecti bonitatem vel malitiam, aut quod voluntas ipsa licet satis illustrata, bonum tamē falsum aut malum pluri faciat bono solido ac vero. Et præoccupata imbutaque iam boni alicuius inferioris affectu & sensu, practicum intellectus iudicium peruertat; sicut solent mali

homines bonorum sana proposita & desideria suis malis consiliis peruertere.

Itaque duplex hoc principium natura scilicet nostra inferiori parti addicta, & dæmon, vt nos decipiant, variis nos horum bonorum & malorum imaginibus deludunt. Et quidē quadruplex est præcipuè modus generalis omnium illusionum, velenim versantur circa principium seu causam effectricem, vel circa finē, vel circa obiectum materiale, vel circa obiectum formale omnium actionum. Nam in eo sæpè decipimur, vel primò, quia putamus nos plus posse, & viribus naturalibus, & cum ordinario Dei auxilio, quàm

344 DE ORATIONE
possimus; atque adeò plera-
que bona à nobis esse, & nos
pænè nobis sufficere, ac pro-
inde non ita à Deo vt om-
nium fonte pendemus. Vel
secundò, quia nos facimus fi-
nem bonorum nostrorum &
actionum, non autem Deum.
Vel tertio, quia deliniti natu-
ralis obiecti indifferente bo-
no ei adherescimus minùs
prudentes, quàm vt possimus
fatis distinguere & separare
rationes bonitatis quæ in eo
latent. Vel quartò denique,
quia pro bono & honesto v-
tile vel delectabile amplecti-
mur, aut minùs honestum
præponimus magis honesto,
etiam cognito: ita scilicet au-
thores isti duo nostrarum de-

ceptionum dæmon & natura nos circumueniunt. Vt partim tegant excellentiam & præstantiam bonorum Dei & virtutum, partim callidissimè ingerant magnitudinem, necessitatem, commoditatem bonorum inferiorum. Sic enim decipere solent homines sensibus deditos, nonnunquam prætextu veri boni, quod dolosè ostentant, subiiciendo in animum bona indifferentia; quibus admissis, omisso vero bono, adhærescit voluntas, & non tantùm priuatur veris bonis, sed sæpè etiam in pericula grauia incurrit; aliquando honestatis & maioris Dei gloriæ specie, in ea impellendo quæ supra

vires humanas, atque adeo indiscreta sint, & quæ ab affectu occulto propriæ excellentiæ dimanent.

Atque vt distinctiùs dolos omnes, fraudesq; has deprehendamus, non abs re erit aliqua earum exempla commemorare, quibus nos illi nostri, virtutum omnium, Deique ipsius hostes, siue ante orationem, siue in oratione, siue post orationem aggreddiantur.

Ante orationem imprimis solet dæmon necessariam voluntatis dispositionem impedire, tollendo vel puritatem conscientiæ, vel saltem eius pacem, ideo toto pænè diei decursu conatur in aliquod

peccatum inducere, vt eo quasi veneno hausto voluntas reddatur languidior, & metu verecundiæque prohibeatur, ne sese totam & cæteras potentias prout necesse est ad meditando expendant atque admoueat, sic nonnunquam in cœna ipsa ac recreatione, vel ad excessum impellit, vel ob minimum aliquem defectum conscientiam turbat, vt deinde præparatio vel omittatur, vel lentior existat. Bene enim monet Nilus *vniversum bellum, quod* c. 48. *inter nos & demonem cõflatur, non esse de alia re quàm de oratione.* Et capite sequenti tradit demones excitare in nobis gulam, iram, & cæteras passio-

nes, *ut illis mens hebetata non possit orare ut oportet.* Remedium pendet à serio & accurato cōscientiæ examine, quo si admissum sit peccatum aliquod, siue grauius siue leuius, redintegretur sincera cum Deo vnio, & filialis affectus ei perfectè seruiendi restauretur, & collapsus per vecordiã feruor acribus admotis stimulis vehementiùs excitetur. Etsi enim ob imperfectiones nostras digni simus omnino quos Deus à familiari suo colloquio repellat, tamen ab eius bonitate & misericordiã, non à nostrâ perfectione & meritis pendere orationis donum æstimare debemus, quãuis nostram etiam coopera-

tionem requirat. Quare si exhauriamus cor nostrū omni alieno affectu; & serio proposito, desiderioque Deo perfectè placēdi, totum illud impleamus; eius deinde misericordiam præsensque auxilium in sequentem diem affuturum æquum est expectare. Et hic maxīmè notandum est dæmonem minimè nescium quicquid molitus fuerat, & fortè etiā obtinuerat, si nos in aliquod peccatum induxerit, hoc remedio totū ruere & euerti, tunc maximo perè nobis insidiari, & examinis vim, energiámque, vel distractione animi, vel aliquâ aliâ ratione infringere conari, torporem animi aut per-

350 DE ORATIONE
turbationem eiusmodialiquã
inducendo qua fracti negli-
gentiùs examinatione con-
scientiæ defungamur.

2. negli-
gens
præpa-
ratio
marte-
riæ.

Secundò nonnunquam il-
luditur voluntas nimio affe-
ctu & sollicitudine, circa oc-
cupationes quasdam, siue stu-
diorum, siue externas: quò fit
vt nonnulli præparationem
meditationis omittant, aut
integram, aut ex parte, pu-
tèntque satis se præparatos si
in genere sciant, qua de re de-
beant meditari, aut si leuiter
materiam ipsam percurrant,
vel etiam in sequentem diem
differant: falluntur sanè illi
specie boni in studiis, aut a-
liis occupationibus apparen-
tis, quod comparatum cum

bono præparationis, hic & nunc putatur esse magis eligibile, cum præparatio leuior iudicetur, & minus necessaria. Quare habet hæc illusio aliquam propriam confidentiam adiunctam, deceptionem etiam circa æstimationem veri boni, & sæpe finistram intentionem finis alicuius, in quæ inordinatè per studia & illas occupationes voluntas delusa feratur. Sæpè etiam deludimur, cum persuademus nobis non esse ad idoneam præparationem tanto studio opus, non quod alterius boni affectu abducamur, sed quia putamus laborem illum superfluum esse circa minutas adeò obseruationes,

352 DE ORATIONE
vt cùm verbi gratia arbitramur non esse, aut necesse, aut adeò vtile ad præparandam meditationis materiam, Dei opem implorare, eam materiam in puncta distinguere ante somnum, & cùm primum excitamur ea distinctè in memoriam reuocare; ante horam meditationis parato stare animo, & cogitare quò sit accedendum, cum quo colloquendum. Nam cùm hæc quotidie facienda præscribantur, facile fit vt vsu ipso & consuetudine minoris fiant, & tædium nos capiat earum rerum, quas iam satis nos obseruauisse diu, & proinde minùs iis egere nobis persuademus. Et quidem

qui à studiis & aliis occupationibus liberi sunt, totique Deo vacant fieri potest, vt non egeant adeo accuratâ obseruatione huius præparationis, verùm qui quotidie mentem habent occupatissimam, & licet manè benè meditati sint, tamen interdium se aliis impleuerunt occupationibus, fieri numquam solet vt non egeant accuratâ & diligenti præparatione. Quare nihil illis omnino negligendum est, sed minima quæque magno studio obseruanda, ne dum in se malè confidunt à Deo deserantur, & iis agitari permittantur phantasiis, quas leui & facili studio delere potuissent.

3. studium
vehemens
ante orationem

Tertiò nonnunquam paulo antè tempus quo præparationi vacandum est, applicatur intellectus vehementer ad obiectũ aliquod quod magnam attentionem requirit, & fortem imaginationis applicationem, adeo vt difficile valdè sit incitatum eius cursum & impetum retinere tam breui tempore, quo præparationi & orationi vacandum est, & impedire quo minus intellectus eo impulsu qui impressus est feratur in illud obiectum, quantumuis repugnante voluntate. Experimur verò non rarò vel arte dæmonis, vel nostrâ propria inclinatione, dum nobis non attendimus, nobis eueni-

re instante tempore meditationis & similium actionū spiritualium similes cogitationes, studia & negotia plena sollicitudinis, in quorum speculatione vehementi attentione & applicatione opus est. Et huc etiam spectare potest animi effusio in ipsa laxatione vespertinâ, quæ tot sæpe vanitatis distractionibus & imaginationibus mentem replet, vt cū inde disceditur, vix libeat voluntati se & intellectum ad res diuinas applicare, aut si ipsa id conetur non satis queat. *Cū te demones*, inquit Nilus, *promptum ad verè orandum vident, tunc subiiciunt quarundam rerum notiones tanquam necessarias,*

Et te paulò post aggreduntur, ut earum recordatione mentem ad inquirendum de iis excitent, ut rursus, si non reperias exitum questionis, discrucieris, & doleas: quando verò stas adorationem, tunc tibi illa in memoriam reuocant, ut queras quae oblitus eras. Id autem machinatur, ut mens ad eorum voluntatem relaxata fructum orationis perdat. Et statim remedium subiungit, Contende ergo ut tempore orationis mentem tuam surdam & mutam reddas, & poteris orare. Huius autem remedij Beati Nili sensus & praxis est, ut quantum fieri poterit, tum ut prouideamus ne eo tempore instante iis nos studiis & occupationibus pro-

fuudiùs quàm par sit immer-
 gamus, tum vt certâ aliquâ
 hora, verbi gratia vno ante
 cœnam quadrante, clausis li-
 bris, omnibûsque alienis cu-
 ris & sollicitudinibus in po-
 sterum diem reiectis, forti ge-
 nerofoque proposito, quasi
 æneo quodam muro disiun-
 gamus & separemus alienas
 istiusmodi occupationes ab
 oratione & internis spiritua-
 lium occupationum exerci-
 tiis, vt nullo modo misceri in-
 ter se queant, sed ab eo tem-
 pore incipiat animus sese
 Deo addicere, & imaginatio-
 nem alienis imbutam phan-
 tasmatis sēsīm abstrahere,
 & melioribus de Deo rebûs-
 que diuinis imaginibus infor-

mare. Vix credi queat quantum hæc separatio habeat momenti ad orationis quietem & fructum, præcipuè in iis hominibus qui externis rebus aut studiis plurimùm occupantur. Quare optimum etiã est consilium Basilij, *que corporis, aliarumque rerum, causa necessario suscipi munera debent, ita ea habebis distributa ut legitimum tibi postea orationis tempus non interpellent.*

ser. de
rerum
abdicat

CAPVT XXIV.

De illusionibus quæ circa meditationem occurrunt.



IN ipsa verò meditatione prima illusio esse solet in ipso ad Deum accessu, nam quia nõ nisi in ænigmate & obscure tum præsentia Dei, tum diuina ipsa mysteria concipi à nobis & intelligi possunt, facile languescit fidei vigor, & sensus ipse pietatis emoritur, quo fit vt vel sine reuerentiâ, vel sine sollicitudine præsentis Dei maiestatem colamus, vix etiam interdum sc̄tiamus, adque orationem non secus

i. illusio negligentia in consideratione diuinæ præsentia.

atque ad commune aliquod sine dignitate & præstantia exercitium accedamus, animo longè remissiori & magis dissoluto, quàm si cum hominibus agendum, aut studiis aliisque occupationibus vacandum esset. Remedium erit si numquam inchoemus orationē nisi imbutâ planè imaginatione, intellectûque certò sibi persuadēte Deum adesse præsentem, & affectu ipso intimâ erga ipsum reuerentiâ permoto, quamuis in hac re aliquanto plus temporis collocandum foret. Nã ideo B. Pater noster tantopere hanc præparationem commendat in pluribus locis, quia si desit, inutilis esse solet oratio,

tio, si autem adsit non tantum initia orationis, felicia futura sunt, sed & totus eius decursus non modicâ deuotione perfundetur, vt cum primùm attentio animi languescere inceperit, statim renouatâ eadem Dei præsentis consideratione reuiuiscat.

Secunda solet esse quod frequenter abundante deuotionis sēsu persuademur inchoatâ iam meditatione præparatam materiam mutare. Nam id communiter non expedit, si enim plerumque meditatio non adeo commodè succedit post accuratam præparationem, quem tandem habitura est exitum, si sine præparatione nouam mihi mate-

2. incō-
stantia
in mu-
tatione
mate-
riæ.

Q

362 DE ORATIONE
riam adsciscam? itaque præ-
posteræ huius meditationis
exitus esse solet obscuritas, a-
nimi anxietas, & turbatio
mentis, etiamsi non malè cir-
ca nouã hanc materiam me-
ditatio illa successerit, quod
euidens signum est diabolicã
fuisse illusionem: non est ta-
men à ratione & spiritu Dei
alienum habere aliquas me-
ditationes sibi familiares &
paratas, quibus experientia
quis didicit se iuuari pluri-
mùm & excitari, verbi gratia,
de quatuor hominum nouis-
simis, de morte Christi, pas-
sione, vocationis beneficio,
vt si fortè quis in præparatã
materiã impeditum se, nihil-
que efficientem sentiat, iis

vtatur, licet non tamen ordi-
nariè. Solet verò hæc illusio
eos potissimum impetere, qui
plus æquo sensibilem deuo-
tionem quærunt, & animo
non sunt satis constanti & vi-
rili. Nam qui solidos tantum
meditationis fructus quærunt,
si constanter circa paratam
materiã se exercere pergant,
experientia docet eos non
minus vberes & solidos, licet
non tantã cum suauitate, fru-
ctus ex eã percipere.

Tertia illusio consistit in
discursu ipso, nam quidam
intellectu sunt adeo faciẽdo,
vt facilè discurrant, tamen in
eo decipiuntur quod non de-
scendant ad praxim, nec sibi,
suisque moribus applicent,

3. curiositas.

quæ mens inter meditandum suggerit. Vnde eorum discursus sunt merè speculatiui.

Quare nullus ex iis motus ad voluntatem transit, nisi delectatio fortasse quædam vana parta ob eximios mentis discursus, & conceptus Theologicos, quos non tam ad suam praxim, studiúmque virtutis propriæ, quã vel ad ingenij ostentationem, vel ad alienos mores corrigendos, referunt, in quos meritò cadit Ni-

cap. 24.

li admonitio, *Cane ne videaris medicinam aliis facere, & tu sis insanabilis, atque orationi tue obsistas.* Ex eo enim vt plurimum nascitur periculosa sui æstimatio, occulta superbia, & ostentatio; ignorant hi ve-

rum meditandi modum, & falsos, vanosque orationis fructus, pro solidis & germanis vsurpant. *Non enim, ut inquit B. P. Ignatius, abundantia scientia, sed sensus & gustus rerum interior, desiderium animæ explere solet.* Ea est enim animæ capacitas, ut nisi ad cognitionem accedat, non tantum voluntatis propositum, sed etiam eiusdem delectatio, quæ est ultimum veluti eius complementum, ieiuna quodammodo atque inanis permaneat.

annot.
2. CX 20

Quarta, alij verò contra quia parum idonei sunt ad memoriæ & discursus operationem, cum vident sibi pauca in meditatione occurrere,

4 ariditas mētis.

Q iij

366 DE ORATIONE
abiiciunt animū, quasi omnino sunt ad meditandū inepti, & ita laxatis habenis continuo vagantur inutiliter, vel pertæsi laboris, quem in mentali oratione perferunt, se vocali totos addicunt. Ignorant & isti verum meditandi modum, nam discursus meditationis facilis est, sunt enim cuilibet, etiā simplici & ignaro, noti sui mores aliquo modo, veritates etiam fidei quæ proponuntur, ordinariè satis faciles, nec applicatio illius regulæ ad quotidianū vitæ usum ardua; si præcipuè vigeat purus ille affectus Deo placēdi, qui viam semper aperiet & sternet discursui illi & applicationi. Quare difficultas

quam isti patiuntur est in discursu speculatiuo potius quã practico. putãt enim intellectum implendum cognitione multarũ & variarum rerum, continuóque in oratione nouis obiectis materiis pascendum intellectum, donec se vltro voluntas ad propositionẽ rei occurrentis excitet: vnde non solent applicare discursum suum ad praxim, nec voluntatem ad affectus vrgere.

Quod intelligi ex eo meliùs poterit, si ponamus ob oculos duplicem modum concionandi, & duplex genus concionatorum: sunt enim quidam qui ingenij acumine planè admirabili res animo cõceptas in auditorum aures

Q iij

368 DE ORATIONE
effundunt ; & , licet finem
intendant suæ orationis, per-
suasionem, tamen ipso modo
proponendi non admodum
videntur velle se auditores ad
assensum vrgere, sed eorum
tantùm intellectum vel ipsâ
rerum multitudine obruere,
vel varietate multiplici dele-
ctare. Quare si forte cadat vt
auditores moueantur, id nul-
lus concionatori solet adscri-
bere. Sunt verò alij qui ita ad
populum loquuntur, vt verè
iudicentur velle efficaciter a-
pud eum quod dicunt persua-
dere. Itaque quæ proponunt
inculcant, vrgentque, & ad
mores auditorum, actiones-
que vehementiùs admouent.
Et licet non abundant re-

rum ingeniosè excogitatarū
 copia, aut discursus varietate,
 tamen longè meliùs aliis veri
 officio concionatoris, & A-
 postolico munere fungūtur.
 Et certè pendet aliquando à
 natura vterque hic modus, ta-
 men certum est pium affectū
 Deo placendi & maioris eius
 gloriæ desiderium hanc effi-
 caciam & vim effundere.

Quinta est circa ipsum ter-
 minum discursus, lumina ni-
 mirūm practica, siue nouas
 veritates, quæ sæpe quidem
 communicantur liberaliter,
 verūm non ita vt discursum
 compleant. Nam aliquando
 diuinæ veritatis fulgor Deo
 afflante emicat in animo, ex
 quo quasi ex principio dedu-

s. super-
 ba sui
 æstima-
 tio.

ci nonnulla queunt naturali
discursu. Sed sicut hoc prin-
cipium diuinum certissimum
& infallibile est, ita quæ
illi adiunguntur ab homi-
ne sunt, quibus proinde er-
ror & falsitas subesse pos-
sunt. Igitur fit aliquando vt
cùm quis diuina hæc lumina
amplificat, facilè sibi persua-
deat hoc incrementum col-
latum esse diuinitùs, ac proin-
de sibi inde blãdiatur, & pla-
ceat, & quod peius est perti-
naciter illi adhæreat, & ita
deinde in errorẽ inducatur,
aut ad aliquid indiscretè aut
supra vires suscipiendum im-
pellatur, humilitate ergo o-
pus est, & magnâ iudicij, sen-
susque propriij abnegatione,

suspectaque imprimishabenda sunt illa omnia iudicia quæ à communi vsu, institutique ratione vel tantillum abhorrent, & singularitatis notari possunt. Lubricus enim & præcepstunc in superbiam & iudicij propriij æstimationem casus est. Quod si quod singulare dictamen & iudicium habuerimus, non est illud habendum prius vt certus ac legimus Spiritus sancti partus, quàm prudentis viri, maximèque superioris nostri iudicio fuerit comprobatum.

Sexta versatur circa affectus voluntatis. Nam nonnunquam contingit post optimum discursum volunta-

6. ariditas voluntatis.

tem omninò manere aridam,
nec posse nisi valdè difficul-
ter elicere actus virtutum fi-
dei, spei, charitatis, humili-
tatis, & aliarũ, prout fert ma-
teria meditationis, imò fen-
tire quendam horrorem &
tædium auersionémque à ta-
lium virtutum exercitio, quæ
propriè spiritualis desolatio
appellatur, opposita conso-
lationi veræ solidæ & substã-
tiali, quæ nihil est aliud quàm
voluntatis vigor quidam ac-
robur, quo elicit magno cum
feruore & alacritate actus
virtutum propositarum inter-
nos cum firmis propositis ex-
ternæ exequutionis. Hæc ve-
rò consolatio vt à Deo esse
potest, ita ei contrariâ deso-

latio à solo spiritu malo, vel nobis, Deo tamen permittente. Quare ut illa procuranda omni studio est, ita hæc expellenda. Cauendum tamen ne, quod tyronibus euenire solet, vis vlla inferatur menti ad eos excitandos affectus, id enim periculosum est, & inutile, & ex ignorãtia prouenit, nesciunt enim illi Deum esse authorem tantorum bonorum, nec huiusmodi vim sibi inferendo quicquam à se promoueri ad ea impetranda, sed cum humili sui resignatione & spiritus suauitate diuini eius influxibus cor suum aperiendo, si tamen causa eius desolationis in nobis sit verbi gratia inordinatus aliquis

374 DE ORATIONE
affectus ad contraria mala; is
sine dubio expurgandus est,
impellendaque mens suauiter
simul & generosè ad mortifi-
cationis proposita, & suscipiē-
da, & suo tempore executio-
ni mandanda.

7. fer-
uor in-
discre-
tus.

Septima aliquando magno
feruore voluntas impellitur
ad has virtutes exercendas, &
tunc licet planè magnifica-
cienda sit hæc diuina conso-
latio, tamen operæ pretium
est discutere hos ipsos motus,
vt deprehendatur num quid
in iis fraudis aut erroris deli-
tescat. Nam nonnunquam
talia desideria comitari solet
nimia sui confidentia, quasi
in nostris hæc viribus sita sint,
aliquando obrepere simul

consuevit occulta superbia, & sui æstimatio nimia, cùm in Deum authorem ea bona nõ referimus, aliquando in illis ipsis exercitiis virtutum attēdimus bonum aliquod vel vtile vel delectabile, vt famã, aliorum opinionem, promotionem ad officia, quæ certè paræ Dei gloriæ bonum minuunt. Porro facilè doli omnes patebunt, & destruentur efficaciter, si discutiatur initium, progressus, & exitus, finisque cuiusque motus, & bona hæc omnia à Deo solo auctore profecta, in eum etiam, eiusque solius gloriam, omni intuitu proprij cuiuscumque boni abiecto, purè syncerèque referantur. Huc autem

376 DE ORATIONE
spectat fraus illa, quâ sæpè
dæmon solet voluntatem a-
uertere ab affectu, studiòque
alicuius virtutis magis neces-
sarię verbi gratia humilitatis,
& impellere ad aliam minùs
eo tempore necessariam, ver-
bi gratia zelum & studium
saluandarum animarum.

8. con-
solatio
sensibi-
lis.

Octaua hanc consolatio-
nem substantialem, solidòs-
que affectus voluntatis comi-
tari potest consolatio sensibi-
lis, aut etiam ei contraria de-
solatio. Nam fit plerúmque
vt cùm voluntas excitata pio
intellectus discursu elicit a-
ctus virtutum circa Deum,
aut circa se, non valdè repu-
gnet pars inferior, quia vel
nullam patitur difficultatem

circa obiecta illarum virtutum, vel iam, si quam habuit, superata est; & tunc communiter illi affectus virtutū pariunt consolationem sensibilem, quæ sine dubio tunc bona est, quia bonum est principium eius, debet tamen caueri malus eius vsus. Vnde primò cum omni submissione & gratiarum actione excipienda est tanquam Dei donum, quo debemus nos verè & syncerè profiteri tanta gratiarum vbertate indignos. Secundò prouidendum est ne illā ultra quàm par sit æstimes, neue per eam rapiamur incautiùs in effusionem animi nimiam, in indiscretos feruores, mortificationes, vo-

ta, aut inani fiducia iactantiã,
ostentationeq; euanescamus.
Facilè enim, nisi caueamus,
decipimur bono illo sensibili,
quasi sit solidum, & illud
præferimus iis ipsis solidis af-
fectibus, à quibus ut suis fon-
tibus procedit, & ad quos
corroborandos à Deo conce-
ditur. Huic etiam affine est
quod qui pluris æstimant cõ-
solationes has sensibiles quã
debent, facile solent sublimes
mentis extases, & extraordi-
narias subleuationes appetere
& sperare, quæ periculosa est
illusio, & ad magna pericula
deceptionesque via: prorsus
ergo persuadeamus nobis,
hanc consolationem non se-
curè, & sine metu à nobis ex-

cipi debere, cùm non sit bonum per se, sed cum timore magno & humilitate, ne nobis noceat. Ergo curemus ut eâ utamur ad eum finem ad quem conceditur à Deo, nimirum ut intelligamus quid à nobis velit, quam expectet à nobis perfectionē, ut, dum nos diuina consolatio subleuat, magnis itineribus ad omne virtutis studiū contendamus, præcipuè verò ad crucem, ad abiectiōem nostri, laborum iniuriarūque tolerantiā. Nam solet Deus potissimum harum virtutum affectibus, ut potè magis necessariarū & difficilium, eam suauitatem adiungere, vnde ad has virtutes, ut ad finem

380 DE ORATIONE
suum referendæ sunt consolations, sic enim non possunt nocere vnquam, cùm vt mediis iis vtimur, non autem iis adhærescimus vt fini & solido bono. Ex his sequitur consolationem sensibilem, cùm non procedit à substantiali, nec ad illam incitat, ordinariè esse periculofam & diabolicam. Quare vigilandum est cùm sine substantiali nos hæc sensibilis præsentis suauitate demulcet.

9. falsa
conso-
lacio.

Nona nonnunquam autem contingit, vt licet nullus omnino præcesserit discursus, Deus ipse pater consolationum in animam benè compositam subito illabatur, & tantâ eam pace, tranquillita-

tè & quiete compleat, vt nihil omnino sentiat, quod vel minimum perturbet, sitque instar serenissimi cæli nullo turbati vento, nullis obducti nebulis. Est hæc consolatio sensibilis quidem, sed simul etiam substantialis, excellens & valdè solida, non tantùm quia de Deo est, & immediatè à Deo, cuius est subito sine discursu nostram cooperationem præuenire, animamque illustrare, omnique nube detersâ serenare, sed etiam quia nos vehementer impellit ad excellentissimos diuini obsequij, virtutumque omnium & præcipuè humilitatis actus: accidit id non tam in medi-

tatione, in qua substantiatialis consolatio oriri solet ex discursu, quam extra eam, quando Deo placet, sed tunc præcipuè quando parata est consciëntia, & sine nostrâ culpâ in meditatione ipsa sine fructu luctati sumus, aut cum patienter aliquid aduersi sustinemus, aut cum denique nos ad difficilẽ aliquam pugnam & insignem de nostris hostibus victoriam Deus parare vult. *Quoties anima, inquit Climacus, nihil etiam curantibus vel studiose operantibus nobis, in lacrymas vi secreta compunctionis excitata in solo fletu requieverit, curramus sollicitè: Dominus enim non vocatus aduenit. Quia verò ali-*

grad.7.

quando dolosa quædam serenitas huic veræ similis irripit, aut à demone immittitur; nõ aliter hæc ab alterâ quam ex effectu discerni potest, si enim dissoluat mentem, sollicitudinem afferat, & desiderium mortificationis & humilitatis restinguat, securitatem nimiam pariat, falsa est: vt contrâ si patiendi pro Christo studium generet, si humilitatis, mortificationis, deuotionis, & cæterarum virtutum affectibus voluntatem inflammet, veræ & solidæ cõsolationis certissimum est argumentum.

Decima quando huiusmodi cõsolatio sensibilis non sentitur, sed potius adest de-

io. de
solatio.

solatio sensibilis, si quidem
coniuncta hæc desolatio sit
cum consolatione substan-
tiali; bene est: Nam cum per
se sola nocere non possit, non
est tantoperè pertimescenda:
solet autem prouenire à dæ-
mone sæpe qui inferiorē par-
tem excitat aduersus pios vo-
luntatis motus, sic vt horreat
animus cum fit mentio cru-
cis, mortificationis, humili-
tatis, patientiæ, & similibus,
ex qua pugna vt plurimum
densa caligo & tenebræ cir-
ca res diuinas menti offun-
duntur, homóque ipse red-
ditur morosus, impatiens, in-
constans, timidus in bonis
aggrediendis, & ad ea quæ
spiritualis consolatio sugge-
rebat

rebat lentus admodũ, & plenus diffidentiã ac desperatione; quæ certissima signa sũt diabolicę desolationis, & tũc, si quam ei causam dedimus per aliquam nostrã culpam, venia à Deo est petenda: alioquin animus in virtutis proposito obfirmendus est, & repugnandum illi desolationi non secus atque apertę tentationi. Nihil verò omnino mutandum, aut euertendum eorum est, quæ antè benè fuerunt à nobis constituta, vacandũque seriò piis exercitiis, cauendum ne ideò orationem deseramus, addendæ etiam poenitentia, terra deosculanda, & tota in Deo nostra spes collocanda, qui

R

scilicet fidelis est, & non patietur nos suprâ vires oppugnari, qui pugnâ nos ista tentari permittit, vt virium experimentum capiamus, vt vigilemus, vt ad eum tanquam ad pium parëtem, & vnicum nostrum præfidiũ, confugiamus. Denique conandum est vt quo fit maior sensibilis hæc desolatio, eo crescat amplius consolatio substantialis, licet sine vlllo gustu, arida, ieiunâque voluntas permaneat. imò gaudendi maiorem & puriorem quis inde haurire occasionem posset, quod Deo synceriùs propter solum ipsius amorem, nullis sensibilib⁹ veluti lenociniis illectus, in sustinendâ patienter deso-

lationis pugnâ, deseruïret.
 Cùm verò hæc desolatio pro-
 uenit à Deo, quod singulari
 suâ prouidentiâ sensum om-
 nem consolationis suspēdat,
 & ab inferiori parte exclu-
 dat; nullæ mentem excæcant
 tenebræ, nulla ad malum sol-
 licitat tentatio, quemadmo-
 dum in diabolicâ desolatio-
 ne, sed integra perseuerat cõ-
 solatio substantialis, saltem
 ea non impeditur, éstque sola
 simplex negatio consolatio-
 nis sensibilis: nec verò pro-
 hibetur animus, quin si opus
 sit deliberare prudenter de iis
 possit quæ agenda instant.
 Quod si nulla nostra culpa
 appareat, propter quã Deus
 hoc animæ bonum neget,

præstat vt diuinæ prouidentiaë consilia agnoscentes, eius nos sanctissimæ voluntati humiliter subiiciamus, nósque illi, nostraque omnia offeramus ac tradamus, gaudentes ex eo maximè quod de nobis liberè & pro sua voluntate disponat, & quod possimus ex puro eius amore, nulla priuatarum commoditatum ratione ducti, illi seruire, nullis in eius castris, quàm quæ ad eius vnicam gloriam spectèt, stipendijs militantes. Vnde certè & magis excitabitur & verè crescet substãtialis consolatio, quo magis à Deo sensibilis cursum retineri intelligemus. Atq; ex iis satis quisque consolationis & desola-

tionis sensibilis naturam cognoscet. Nam ea pendet maximè à substantiali, siue vt à causa à qua procedit, siue vt à fine ad quem refertur: nonnumquam enim manifestè procedit à consolatione substantiali sensibilis, tam consolatio, quàm (quod mirum videri potest) desolatio. Aliquando verò etsi non procedat ab illâ, vt aliquando Deus hominem inebriat spirituali dulcedine, tamẽ ad eam omnino refertur & incitat: nam si tantillum ab ea retardet, à dæmone est. Vnde certè manifestum est, quod initiò dicebamus, quantam securitatem præstet aduersus omnes illusiones dæmonis, nullum

aliud bonum desiderare, & intendere quàm bonum diuinæ gloriæ, atque adeò ab omni bono proprio, etiamsi supernaturale sit, affectũ abstrahere, vt illi vni procurando neruos omnes & conatus intendās.

II. tem-
poris
præci-
sio.

Vltima deniq; est quâ nonnulli, seu pertæsi difficultatum, propter mentis ariditatem & distractiones, seu externis bonis allecti, seu etiam prætextu pietatis, & specie diuinæ gloriæ, & vtilitatis proximorum, tempus orationi debitum succidunt; huius illusionis causam indicat S. Basiliius paruum orationis præ aliis bonis æstimationem, simulque remedium indicat.

Ad orationem, inquit, quotiescumque vocaris, libenter succinat os tuum, in eaque usque eo permaneto, donec regula satisfeceris; magnamque te iacturam facere arbitrator, si antè discesseris. Etenim si cum corporis tui sustentandi causa cibum capis, egre admodum à mensa potes auelli, nisi naturale prius desiderium expleveris; neque ita facile hoc facturus sis, nisi magna te inde necessitas auocet. Qui non tandem ab epulis iis auelli agrius debes, quibus spiritus alitur tuus? Et Climacus: Dirum quidem est ^{grad.} aquam ex sitientis ore diripere, ^{28.} sed longè est dirius animam summo affectu compunctionis orantem, priusquàm perfectè con-

summetur, seipsam priuare iucundissimo isto nimirumque desiderabili statu. Noli ab oratione desilire quoad videas ignem & aquam diuina dispensatione cessauisse: neque enim eiusmodi tempus, remissioni peccatorum aptissimum, fortasse in omni vita tua inuenies.

CAPVT XXV.

De illusionibus que post meditationem occurrunt.

Illusio neglectus examinis.

POST Meditationem prima illusio esse sola circa examen meditationis, & collectionem fructus ex meditatione percepti. Nam si Dæmon nos in ipsa

meditatione, vel anteeam, de-
cepit, sua ipse vestigia per e-
xamen dignosci, & depre-
hendi fraudes, versutus & va-
fer veterator metuit, & con-
tra Dei opes, dona, lumina,
& gratias extingui & præfo-
cari obliuione cupit. At con-
trà Spiritus Sanctus notari
vult singula accuratè, distin-
ctèque in futuros vsus oppor-
tuna custodiri, mandari me-
morix, & oratione aliquâ
breui foueri.

Secunda multi post acce-
pta tanta bona parùm cauti
sunt, sed statim sese effundūt
extra se, cum aliis versantur
superbè, cum iactantia osten-
tant lumina quæ à Deo acce-
perunt, sese aliis præferunt,

2. men-
tis effu-
sio ad
alia.

audacter suscipiunt suis viribus maiora, magnificè de suis virtutibus & sentiunt & predicant. *Cum bene quis orauit, inquit Nilus, & Demon, impedire non potuit, sielo aliquo lumine ad vanam gloriam excitat.* Sunt etiam qui omnem sui curam abiiciunt, & ad alia se conuertunt, quo fit vt omnem ex oratione collectũ fructum ita perdant, vt multis eum orationibus & piis operibus recuperare vix queãt.

grad. 7. *Verbum unum, inquit Climacus, nonnunquam dissoluit luctum, mirum verò si unum quoque verbum rursus illum renouare, postquam auolauerit, possit.* Et alibi, *Qui orationis gustum cepit, uno sæpè verbo incantans*

*emisso inquinavit mentem, at-
que in oratione assistens, quem
cupiebat, nequaquam ut solebat,
inuenit.*

Tertia nonnulli vbi medi-
tatio non ita successit, nec
plenum in ea fructum con-
sequuti sunt, quia variis di-
stractionibus magnam par-
tem temporis agitati sunt,
post meditationem animo
fracto etiam exiguum illum
fructum, lumina, & motus
pios, quos benignus domi-
nus concesserat vt bono vsu
crescerent, contemnunt, &
mentem dissoluunt, inque
inutiles totâ die occupatio-
nes dispergunt, sciant qui hu-
iusmodi sunt Doiuinũ Deum
plenam iis messem aut vinde-

3. animi
deie-
ctio.

miam non concedere, ne suis donis abutantur, concedere tamen eam quantitatem, cum qua, si ad laborare velint, in spirituali vitâ proficere queant: cum præsertim bonorum spiritualium tantam sterilitatem immittat, nunquamquin sufficientem animæ cibum, saltem ex præteritarum meditationum ubertate, si bene dispensetur, provideat.

De-
fectus
bonæ
execu-
tionis.

Quarta in ipsa executione bonorum propositorum variè illudit Dæmon. Nam cum videt se ea non potuisse impedire, instar Labani pro Rachele Lian supponit, & obiectis ipsis virtutum admiscet aliquam rationem boni utilis, delectabilis, & in speciem

honesti , itaque nonnullos
prætextu valetudinis conser-
uandæ, aut parcimoniæ in vi-
ctu , & vestitu , inclinât ad
apertas laxitates, aut indiscre-
tas singularitates , quas ipsi
vix agnoscunt, abducitque
omnino à studio mortifica-
tionis , adeo vt apertè non
tantùm omittant ipsi, sed etiã
soleant coram aliis opera il-
lius externa parui facere , &
totam perfectionis formã in
affectu & interno homine re-
ponendam asserant, cùm ta-
men ipsi suis passionibus ad-
dicti omnium maximè sint,
& sui interni status negligenti-
ssimi. Alios totos idem Dæ-
mon occupat exterioribus
mortificationibus & pœni-

tentiis, cùm tamen in animo
verè mortificationis maximè
sint expertes, & magnâ sæpè
indiscretionè sibi noceant.
Nonnullos impellit ad stu-
dia virtutum, quas status il-
lorum necdum ferre potest,
cùm enim nondum in prima
via versati sint satis, nondum
domitis passionibus & extin-
ctis vitiis, nondum humilita-
te præditi satis; ad internæ
contemplationis altitudinē,
& opera perfectorum pro-
pria, aspirant: vnde nihil mi-
rùm si corruant, vt egregiè
notauit alicubi Caietanus.

Quosdam auocat à proprij
instituti ratione tenenda, &
ad alienam vitæ, virtutum-
que formam impellit, aliquã-

do efficit vt occurrentibus
 occasionibus propositorum
 executio differatur in aliud
 tempus, aut impedimentum
 aliquod obiicit, vnde postea,
 fracto velut semel proposito,
 in animi angustias & diffi-
 dentiam propellit, vt totum
 propositum abiiciant, & in
 contraria vitia præcipites ru-
 ant, sicque ex frequenti lapsu
 ita eos concutit, vt deserant
 proficiendi & contendendi
 desiderium, putentque fru-
 strà se toties proponere, quasi
 id sit Deo illudere; aut sal-
 tem inane, otiosumque esse
 id tentare quod consequi ne-
 queant. Huius rei præclare
 nos admonet S. Nilus. *Cùm* cap. 40.
Dæmon, inquit, non potest ora;

tionem hominis impedire, illum ira incendit, & optimum eius statum ex oratione conflatum
 cap. 47 *disturbat, aut ad voluptatem provocat. Et postea: Cùm oraveris ut oportet, expecta quæ non oportet, & sta viriliter custodiens fructum tuum; ad hoc enim à principio positus es; ne igitur postquã laboraveris, quod laboraveris sine custodia relin-
 quas, alioquin orando nihil proficies.*

Aduersus has omnes illusiones, aliásque innumeras opus est cœlesti luce, opus consilio & ductu superiorum, opus humilitate & constantiâ, proderit etiam quæ de defectu deuotionis, & distractionibus dicta sunt suprà benè

attendere, nam vtrumque illud impedimentum plenum illusionibus esse solet.

CAPVT XXVI.

Impedimenta ex parte corporis.

RESTAT vltimum orationis impedimentum, quod se tenet ex parte corporis; cū enim ad meditationis opus, non solum animi conatus, sed etiā vires corporis suo modo concurrant, & ipsa mentis operatio plurimū à corporis habitudine, ob naturalem inter vtrumque nexum, pen-

sap. 9:

deat; fieri non potest ut corporis incommoda in animū non redundant. *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantē.* Sunt autem huiusmodi incommoda hæc potissimum; somnus, capitis grauitas, stomachi debilitas, languor quidam totius corporis: quæ certè incommoda nonnūquam ficta Dæmonis arte, vel extoto, vel parte sunt; nonnunquam vera quidem sunt, sed non nisi nostra negligentia vel contrahuntur, vel fouentur; nonnunquam sine vlla nostra culpa contingunt.

Et quidem, quod ad illusiones Dæmonis spectat, du-

bium non est quin sæpe Dæ-
 mon orationis fructum inter-
 cipere falsa aliqua obiecta
 ratione contendat. *Habent* ser. de
 abdic.
 rerum.
hunc morem Demones, inquit
 D. Basilius, *ut facienda ora-
 tionis temporibus, per speciosam
 scilicet aliquam laudabilis cau-
 sa simulationem, nobis sedulo
 authores sint, ut ab ea nos sub-
 ducamus, ut quam salutem af-
 ferre nobis intelligant, ab ea
 nos probabiliter abducant. Noli
 ingemiscens capitis ventrisve
 dolorem excusare, Et eius qui
 nullus sit testes incertos proferre;
 ne quiescendi causa quidquam
 de acri vigilantia assiduitate
 remiseris. Neque verò solùm
 infirmitatis prætectu mētem
 dissoluit Dæmon, sed nonni-*

quam bestiolarum quarundam, quarum interdum etiam formam induit, impunitate vitur, vt quietem o-

c. 102. rationis interrumpat. *Talem fuisse intelleximus, inquit Nilus, in lacu quietè commorantem Ioannem illum cognomento Paruum, quem ego magnum interpretor, qui circūplicatus Dæmone in speciem Draconis mutato, & corpus eius mandente, atque in faciem eius vomente; tamen se à colloquio & cōgressu Dei non dimouebat. Narrat quoque idem paulò ante de quodam alio cuius orantis manus in specie Leonis Dæmon vnguibus rictūque discerperet, cū tamen ipse non prius remitteret, quàm*

orationes consuetas absolueret. Væcordes sanè nos, quos adeo frangit musca sæpè aut pulex, vt è Dei præsentia & cogitatione totos abducatur.

Cùm verò hæc incommoda nostra culpa oriuntur, maioris sunt plena periculi, cùm non tantùm animi attentionem multùm debilitent, sed Deum etiam ab auxilio nobis ferendo soleant auertere. Sunt quos somnus orationis tempore inuadat tam importunus, vt difficulter admodum excuti possit, quos merito Deus hac conflictari molestia permittit, siue quia iustos temperantiæ limites incæna sunt prætergressi, siue quia vigiliis indebitis animi

406 DE ORATIONE
corporisque vires debilitarūt,
siue quia ægrè somnum le-
ctūmque reliquerunt, siue
denique quia remissè ac
perfunctoriè sese orationi de-
derunt. Proderit hoc tentatis
morbo has eius causas sum-
ma animi cautione & diligē-
tia anteuertere. Iuuabit &
initio orationis resistere viri-
liter, omnēmque indormi-
scentiæ aditum occludere: si
enim irrepat, quem inuasit
locum non faciliè deserit. V-
tile denique erit cūm blandi-
tur somnus, contrariis eum
armis, motu nimirum conti-
nuo, expurgnare. Itaque mo-
dò standum, modò ambu-
landum, genua variis in locis
& per vices flectenda, deo-

sculanda terra, manus & facies gelidâ perfunda, brachia in crucis formam expandenda, aliquis corpori cruciatus, per disciplinam aut silitiũ in negligentia pœnam cum humili ad Deum oratione, & veniæ deprecatione, infligendus : quæ si non iuvent ex sequentis incommodi remediis sũt, quæ prodesse possunt, desumenda.

Denique pacem orationis & mentis attentionem his incommodis sine culpa præpediri, sancti quotidie viri experiuntur, interque alios B. Mater Teresia plerumque se ex aëris mutatione, & varia humorum habitudine gravato corpore minus ad oratio-

Ribera
in vita
l. 4. c. 2.

nem idoneam fuisse notauit. Remedium huius infirmitatis multiplex esse potest. Primum vt voluntatem nostram diuinæ conformemus, & humiliemur sub potenti manu Dei, cum magna resignatione & animi æquitate tolerantés, quod nos creaturis etiã irrationalibus subiectos esse voluerit. Deinde non omnino abjiciendus animus est, sed Deo fidendum, ab eoque qui nos exercet auxilium sperandum, cuius amori, & gloriæ si corporis incommoda postponamus, cõtra vim morbi pro viribus obnitentes, peculiari forte gratiæ auxilio opem ferret; qualem illi viro sancto præsentissimam

simam tulit, ad quem, vt nar- c. 104.
 rat B. Nilus, cum oraret ac-
 cessit vipera quæ pedem eius teti-
 git: ille verò non prius manus
 deiecit, quàm solitam orationem
 absolueret, nihilque incommodi
 accepit, qui Deum plusquam se
 dilexit. Aduertendum tamẽ
 est tantam aliquando capitis
 ac corporis infirmitatem esse,
 vt legitimũ meditationi im-
 pedimentum obiicere possit,
 sitque non leue periculũ, ne
 si animus contendatur, gra-
 uius aliquod incommodum
 creetur. Tũc igitur vtendum
 aliqua remissione est, & ad
 faciliorem aliquem orationis
 modum animus suauiter ap-
 plicandus.

Vt autem ad manum velu-

S

o. no. x. p. t. x. o. q. u.

ti atque in promptu habeantur remedia quædam aduersus has omnes corporis, animique infirmitates non sane inutilia; ad calcem huius capituli & operis subtextere visum est, & solū breuiter perstringere varios orandi modos, quos in iis occasionibus sancti nonnunquam ac pij viri cum magno fructu & iucunditate vsurparunt.

Quidam igitur vtuntur primo aut secundo mixtæ orationis modo, quos B. P. Ignatius in suis exercitiis descripsit: ad 1. spectat si percurras breuiter singula Dei & Ecclesiæ præcepta, tum peccata mortalia, & virtutes iisdem oppositas, quinque

sensus, tres animæ potentias: atque vbi quid primum sibi præceptum velit mente penetraveris, deinde etiam discussis quonam illud modo observaveris aut violaveris, ad veniæ & gratiæ postulatiõnẽ recites semel Pater & Ave. Quod simili modo circa 2. & consequentia præcepta virtutésque observare debes. Ad 2. si vocalẽ aliquam orationem, Dominicam exempli causa, Symbolũ, Psalmos, Hymnos, Litanias, & cæteras huiusmodi consuetas Ecclesiæ preces attentè & quietè recites, tandiu in singulis verbis aut incisis per ordinem immorando, quandiu tibi aliquid spiritualis in-

telligentiæ & pij affectus occurret.

Alij sua sibi in terris paupertate proposita, & cælestis regni diuitiis, magnâque animo concepta spe aliquid à Beatorum liberalitate spiritualis eleemosynæ accipiendi, se veluti in fidem & societate Angeli custodis, & Sancti patroni tradunt, ab iisque se per omnes quasi plateas & compita cœlorum deduci permittunt, modò exempli causa ad vicum Angelorum domum orationis, modò ad vicum Patriarcharum lumen fidei, modò ad vicum Apostolorum charitatis virtutem petitori, & ita de cæteris, vt cuique pro sua necessitate &

deuotione libebit.

Alij totam Christi Domini vitam in certa spatia diuidunt, & ad loca sancta, in quibus ipse commoratus est, stationes veluti quasdam cōstituunt, i. ad ciuitatē Nazareth, in qua conceptus nouē mēses in B. Virginis utero habitauit. Deinde ad præsepe Bethleemiticū, vbi quadraginta diebus: tum in Ægyptū, vbi degit septem annis: postea iterum in Nazareth, vbi viginti duob⁹ annis vixit. Ad desertum vbi, quadraginta diebus. Ad Galilæam & Iudæam quas fere quadriennio Euangelica prædicatione lustrauit. Ad cænaculum, hortum, & cætera passionis loca,

414 DE ORATIONE

in quibus duobus fere diebus Christus est passus. Ad crucem in qua tribus horis: ad sepulchrum & lymbum, vbi quadraginta horis. Tandem iterum ad terras quas quadraginta dies post resurrectionem coluit. Ad singulas autem stationes recitant quinquies Pater & Aue.

Nonnulli Christi Crucifixi quinque plagas adeunt, & ad dexteram quidem manū gratias Deo agunt ob bona omnia naturæ & gratiæ à diuina liberalitate collata, veniamque quod malè iis vsi sunt, & gratiæ, quò meliùs in posterum vtantur, auxiliū petunt. Ad sinistram gratias agunt de rebus aduersis, &

vitę huius incommodis, quod malè vſi fuerint veniam, vt bene deinceps vtantur, gratiam etiam poſtulant. Ad pedem dextrum veniam petunt negligentię, & omiſſionum quibus in via perfectionis & ſpiritali progreſſu ſunt retardati. Ad ſiniſtrum quod in tam frequentes imperfectiones inciderint. Ad latus quod adeo frigidi in Dei & proximi amore extiterint.

Alij præuident opera ſua atque actiones totius diei ſingulas, & proponunt in particulari vitare eas imperfectiones, quas iis admiscere cõſueuerunt: eãſq; iis ornare virtutibus, quas ſibi neceſſarias eſſe ducunt; potiffimum

verò puritate intentionis, qua nihil in his præter diuinam gloriam spectare queant.

Sunt denique qui cùm à corporis infirmitate, obediētia, aliaque occasione præpediri se ab exercendis misericordiæ spiritualis & corporalis operibus vident, miseris qua possunt arte per orationis auxilium succurrunt: Modò enim mente percurrunt vnius aut plurium ciuitatũ xenodochia aut carceres, & in singulis pro infirmorum salute, & captiuorum liberatione solatioq; recitant aliquã orationem. Modo ad varias mundi partes ad S. Sepulchrum, ad limina Apostolorum, B. Virg. Lauretanam, D. Iaco-

bum, aliaq; pia loca peregrinationē instituunt, & oblationis nomine orationes in singulis ad Deum & Sanctos fundunt. Modò in vrbes hæresi, infidelitate, vitiis, bello aut peste infectas se transferunt, & quam possunt opem subsidiūque doctrinæ & consolationis, per orationes in singulis Deo fusas, fidelibus & infidelibus præstant.

Ex his omnibus poterit facile quiuis orationis tædium & laborem auertere, assumptis iis orandi modis, quos magis suo ingenio accommodatos intelliget, poteritque pari ratione similes alios adinuenire si qui magis placeant. Quod si horum nihil proffit,

418 DE ORAT. MENTALI.
sumatur aliquę pię imagines,
aut libellus, ad cuius lectio-
nem attentam & lentam con-
sideratio aliqua mentis & af-
fectus voluntatis admiscean-
tur.

FINIS.

Approbatio Doctorem.

Nos infrascripti Doctores
Theologi in sacra Faculta-
te Parisiensi vidimus, & attentis
animis legimus, *Opusculum De*
Oratione Mentali, A. P. A. Gaudier
è Societ. IESV, & nihil in eo offen-
dimus quod Religioni Catholi-
cæ aduersum aut dissentaneum
censeri possit. Quapropter iudi-
cauimus illud merito prælo cõ-
mittendum. Lutetiæ Parisiorum
12. Martij anno 1620.

F. ÆG. DE AMORE Prior Con-
uentus FF. Prædicatorum.

F. PETRVS DEMONCHAVLT.

*Summa Priuilegij Christianissi-
mi Regis.*

LVDOVICI XIII. Franciæ
& Nauarræ Regis Christia-
nissimi autoritate concessum
est SEBASTIANO CRAMOISY Bi-
bliopolæ Parisiensi Iurato, typis
mandare & venalem habere, *Præ-
xis meditandi, &c.* alijsq; cuiuscū-
que conditionis interdictum est
intra decennium, vt patet in Di-
plomate Regio dato Parisiis 23.
Aprilis, 1620.

Subsignato

RENOUARD.

1637
1711